REVERENDI PATRIS

EMANVELIS THESAVRI

E SOCIETATE IESV,

CÆSARES;

Et ejusdem varia carmina:

Quibus accesserunt

Nobilissimorum ORIENTIS & OCCIDENTIS Pontificum elogia, & *varia opera Poëtica.*

Editio secunda emendatior, cum auctariolo.

OXONII

Excudebat L. LICHFIELD Impensis GULIELMI WEBB *Bibliopolæ.*

M. DC. XXXVII.

Dec 30. 1847
Gift of Edward Tuckerman
of Cambridge

In honorem Illustriss. D. D. Verulamii, Vicecomitis Stⁱ Albani, Mag. Sigilli Custodis, post editam ab eo *Instaurationem Magnam.*

QVis iste tandem? non enim vultu ambulat
Quotidiano! Nescis ignare? Audies!
Dux Notionum; veritatis Pontifex;
Inductionis Dominus, & Verulamii;
Rerum magister unicus, at non Artium;
Profunditatis pinus, atq; Elegantiæ;
Naturæ Aruspex intimus; Philosophiæ
Ærarium; sequester experientiæ,
Speculationisque; Æquitatis signifer;
Scientiarum, sub pupillari statu
Degentium olim, Emancipator; Luminis
Promus; Fugator Idolûm, atque nubium;
Collega solis; Quadra Certitudinis;
Sophismatum Matrix; Brutus Literarius,
Authoritatis exuens tyrannidem;
Rationis & sensus stupendus Arbiter;
Repumicator mentis; Atlas Physicus
Alcide succumbente Stagiritico;
Columba Noæ, quæ in vetustis artibus
Nullum locum requiémve cernens, præstitit
Ad se, suamq; matris Arcam regredi;
Subtilitatis Terebra; Temporis Nepos
Ex veritate matre; Mellis alveus;
Mundiq; & Animarum sacerdos unicus;
Securis errorum; Inque Naturalibus
Granum Sinapis, Acre Aliis, Crescens sibi.
O me probè lassum Iuvate Posteri!

G. Herbert Orat. Pub. in *Acad. Cantab.*

Epigraphe Gustavi Adolphi.

Siste viator,
Nec desponde animum,
Vt nequicquam speres,
Ni mori speres;
Vix est quod metuas,
Ni vivere metuas.
Fato cessit vitæ Mortisq; arbiter summus,
Proximumm cœlitibus Nomen.
Quin illud exigis?
Dabo;
Sed ut lites Lachrymas
Regi Potentiss. Pientiss.
GVstaVo
QVo seXto noVeMbrIs
NeCI Dato
Tota Europæ facies mutata est,
In planctum solutis Humaniss. quibuscúnque.
Quin Majora postulas?
Accipe;
Ille, qui Diffidia Publica pace terminare,
Pacem bonis Artibus excolere;
Ille, qui oppressos in suum jus asserere,
Assertos libertate donare,
Libertatem securam reddere,
Aggressus est,
Proh dolor! Interiit.
Sed ut summum arduæ virtutis audiat:
Nullus quippe post homines natos
Bono publico
Potiora intentavit,
Graviora passus est.
Abi jam, si licet, invem tuam.

DAN. HEINSIVS.

In Creationem Mundi.

Nfantis primùm teneri cunabula mundi
Et Chaos antiquum refero, procul eſte prophani;
Ne ſacra infeſtis maculetur charta lituris: (habenas
At qui ſublimes rerum moderatis
Arduus, & pictâ terram circumſpicis aulâ,
Qui ventos frœnas, quem majeſtate verendus
Ambit honor; fuſoque tegit velamine lumen:
Qui fora ſydereis circumfulgentia gemmis,
Æthereámque domum peragras, quem ſepibus igneis
Circumdat flammata Phalanx, cœlíque forenſes
Ordine circumſtant longo cui dextra triſulcis
Ignibus armata, & nigrantia nubila livent
Obtuſis veluti maculis, tonitrúque tremendo
Ebria nutantis lanias fundamina mundi.
O qui moliris radiati frœna gigantis,
Expers principii ſolùm, & ſine fine beatus;
Tu mihi materiam verbis animúmque miniſtra:
Imbue me ſacris flammis, non Troica bella,
Aut Phaetonteæ canimus figmenta ruinæ;
Aſt ego cœleſti ſcandens *Helicona* cothurno,
Naturæ referam partus; tu carminis ignem
Et cedro da digna loqui, veniſque benignis
Promeré limato deducta poemata filo:
Diſcute vulgares glebas, I Muſa, quid obſtat

Lucida Pyeriis diſcerpere gramina ripis,
Inſignémque meo capiti contexere vittam.
Principio terram nebularum obduxit amictu,
Et nox atratis tenebris vallaverat omne;
Non fabricata fuit ſtellantis regia cœli,
Nec pila telluris fixâ radice pependit:
Nullus adhuc Titan roſeis ſuſpenſa quadrigis
Lumina diffudit circum, pulcríſque fluentis
Tetheos undivagæ cingebat baltheus orbem;
At Chaos horrendúm cæcâ rubigine cuncta
Involvens, centum ſpargebat noctibus umbram;
Una fuit facies, color unus & una figura;
Unda dedit flammas, diſcors concordia junxit
Humida cum ſiccis, nec non compage ſolutâ
Rupêrunt elementa fidem, & civilibus armis
Mixta rebellantum pugnabant ſemina rerum;
Tum pater omnipotens magnum per inane capacis
Extudit hanc orbis molem, juſſúque verendo
Erigit immenſi primùm tentoria cœli;
Sparſaque fulmineo diffudit lumina motu.
Salve prima Jovis proles, & maxima natu
Filia lux, croceo circum fulgore coruſcans;
Tu cœli reſeras portam, tenebríſque fugatis
Gemmea purpureæ diſpergis ſemina flammæ.
Tecum (ut credibile eſt) Cherubinæ gloria turmæ
Exoritur, ducítque tuis natalibus ortum.
Ætherei proceres ſummi quibus ora tonantis
Conſpicienda patent, nitidis qui ſæpè catervis
Circumſtant ſolum, longóque examine verrunt
Flamea templa poli, nec non & carmine ſacro
Argutíſque lyris magni præconia regis
Evolvunt, lætíſque ſonat concentibus Aula.
Talia cum placido Genitor luſtraverat ore,
Cimmerias tenebras glomeratatáque nubila noctis,

Diſcuſ

Diſcuſſit ; roſeúmque diem ſuccedere juſſit :
Quippe ſibi placuit tenebris ſecernere lucem,
Et dare nocturnæ diſcriminis nota quieti :
At ſomni Genetrix atro velamine mærens
Lucem odit, ſequitúrque diem nigrantibus alis:
Illa ſoporato ſpirans oblivia motu,
Tænareíſque educta rotis Acherontis ab alveo
Fumiferum attollit vultum, collóque madenti
Diſtillant rores, piceo carbone notatur
Pectus, & obtuſâ ſqualent fuligine crines:
Illa tenebroſis mundum complectitur ulnis,
Imperiíque ſui populum juga ferre coegit :
Cùm canis iratus fumanti gutture latrat,
Spumeáque ardenti ſitiens bibit ore fluenta ;
Qui Cereris tondet crines, aut falce nitenti
Gramina roranti campis metit ebria ſucco,
Cùm ferrugineis nox atra involvitur umbris,
Deliciis ſomni ſudantes erigat artus,
Sanguine ſi ſpumat Mavortis ferrea proles,
Et ſub luce fremens avido bibit ore cruorem ;
Nocte tamen recubans, languenti ſtrata ſapore
Membra fovet, validíque artus torpore ligantur,
Cúmque per Æoas radians Aurora feneſtras
Emicat, & Tyrio tunicam defibulat auſtro :
Paſtor amicus oves ad prata virentia ducit,
Et recreat pecudem, leni dum forte ſuſurro
Per virides ripas vitreo pede labitur unda:
Cùm tamen ignito ſtellas accendit in auro
Veſper, & atrato lugent velamine montes
Diſceſſu ſolis patulæ ſub tegmine quercûs,
Gramineíſque toris ſedato pectore dormit.
Omnia nox æquat, procerumque cubilia ſomnus
Obſidet, & duplici captivum compede vincit.
Illa ſinu mulcet curas, ſævíque doloris

Mordaces pellit fluctus purgátque laborem,
Alma dies iterum candens: Syndone tecta,
Aurea luteolis fundit sotatia bigis:
Cujus in adventum latè per roscida prata
Stellantes radiant flores, silvisque profundis
Plumeus elatis exercitus obstrepit alis:
Sic recreant terras, alternis cursibus ambo,
Insignémque sui Domini testantur honorem.
Tunc elementorum seriem pater omnipotenti
Firmavit dextrâ curvis formacibus undas
Suspendens, triplicique auras regione locavit.
Quarum summa calens rutilo fabricatur ab igne,
Prodigiisque frequens, hinc atro crine cometa
Sanguineas vomit ore notas, flammásque rubentes
Eructans, lævâ contristat lampade cœlum;
Exitiúmque refert terris, generatur & inde
Sulphureum fulmen, cùm flammeus ardor aquosis
Bella gerit nimbis, hiememque in prœlia cogit.
Hinc quoque flamma minax variantibus aëra formis
Implet, & attonitis terrêt fulgoribus orbem:
Nunc vagus accenso rapitur per nubila gyro
Hœdus, & ignito dependet vellere barba,
Fulmineámque quatit frontem, pila sulphuris atri
Ore volat, fusæque nitent per cornua flammæ.
Nunc ardens anguis crispata volumina caudæ
Explicat & curvum penitus falcatur in arcum;
Nunc enses, nunc scuta nitent, nunc Pyramis ardet;
Sulphureis nunc hirta jubis, galea alta coruscis
Erigitur cristis, fabricatáque spicula lucent:
Nec tamen hæc fragilis terrestria semina flammæ
Æthereos æquant ignes, qui fulmine puro
Accendunt sese, cognatáque lumina cœlo
Majori lenitate calent, motúque sereno
Æternas gignunt vires, nec nubila fumi

Conterquent

Cont
Altera
Cond
Stat li
In ma
Abdit
Hic fu
Cinxi
Inferi
Regna
Rura f
Hinc
Attolli
Ambit
Crine
Concu
Hinc m
Cui fle
Manat,
Colla o
Horrifi
Flumen
Hinc Z
Aëra pe
Nec
Pulvert
Dissipat
Hi levib
Concili
Inter se
Arboreá
Sibilat,
Nunc vi
Pulvere

Contorquent, vánóve fovent incendia victu.
Altera frigidior, cujus statione nivales
Conduntur lanæ, duratáque frigore pigro
Stat liquidis gemmis glacies (quæ filia lymphæ est
In matrem conversa suam) lapidosáque grando
Abditur, albenti terram quæ forsicè radit.
Hic furialis hyems glacialibus atria muris
Cinxit, & ætherei penitus calor exulat ignis.
Inferiore loco fœcunda furentibus Euris
Regna proterva fremunt, squallent immania fœdo
Rura situ, uentique cavis claudúntur in antris.
Hinc gelidus Boreas vultu metuendus atili
Attollit glaciale caput, quod cana pruina
Ambit, & horrentes constringit stiria setas;
Crine pruinoso sonitum cava tempora reddunt,
Concussæque crepant brumali grandine pennæ.
Hinc madidis Auster circumvolat horridus alis,
Cui flentes tegit unda comas, frons hispida nimbis
Manat, & in liquidos fontes se barba repectit;
Colla onerantur aquis, glomerataque nubila circum
Horrifico stridore fremunt, vomit ille profundum
Flumen, & eversis demens bacchatur arenis.
Hinc Zephyrus croceo redimitus flore capillos,
Aëra per sudum placidos effundit odores.
Nec non arridens Eurus fervore salubri
Pulverulentus equo vehitur, terrosque vapores
Dissipat & sicco graditur per pascua flatu.
Hi levibus pennis nemorum per rura volantes
Concilium ferale vocant, lenique susurro
Inter se patulis meditantur prælia terris,
Arboreásque domos peragrant, dum frondibus aura
Sibilat, & primo etispantur flamine crines:
Nunc virides campos piceâ vibice flagellant
Pulvereásque rotant nubes, nunc murmure diro

Undivagos equitant montes dum verrit Olympum
Marmor, & emugit Tethis latrantibus undis.
Insuper ignipedum cum sol frænator equorum
Lucet & epotos absorbet flamma vapores,
Sæpius inferior regio calligat opacis
Nubibus, & purum piceâ rubigine cælum
Obducunt nebulæ, dum Jupiter imbre minaci
Labitur in sponsæ gremium; nam quicquid ab udis
Exhalatur aquis, aut campo emergit aperto,
Hoc sublime petens cœli defertur ad oras,
Solis ubi æstivi rapido fervore solutum,
Decidit argenti per prata micantia guttis.
Sic ubi diversis secrevit partibus auras,
Finibus aereis tellus glomerata pependit.
Pollenti librata manu; hanc compage tenaci
Circuit & firmis solidavit membra catenis.
Attamen effusi miranda licentia ponti
Obruerat faciem, nec adhuc se carcere fluctus
Abdiderant, terrisve locum dedit Amphitrite.
Tum pater Omnipotens scopulosa cubilia ponti
Struxit, arenosis compescens sepibus undas,
Hinc crispo flexu circum latera ardua terræ
Labitur Oceanus, tumidóque volumine plangit
Littora, saxosos metuens transcendere vectes.
Cùm tamen ingenti prorumpunt laxa fragore
Æquora, & eversas demens vomit æstus arenas,
Hoc Lunæ tribuo; nam Luna humentibus undis
Imperat, inque fretis posita est suprema potestas.
Nondum coccineis risêrunt floribus arva,
Nec pictis stetit herba comis, aut graminis aurei
Sydera gemmato spargebant tegmine campos.
Nondum flava ceres spicarum lucida vallo
Rura coronavit, nec, adhuc sub aratra juvenci
Fumabant, querulive amnes, trepitante susurro

Garsula

Garrula crispatis fingebant Iurgia lymphis;
Tum pater Omnipotens rerum qui flexit habenas,
Sic tandem sacro sermone silentia rupit.
Terra parens hominum pinguidum viridante coronâ
Cinge caput, crinésque tuos expande nitentes;
Mollia purpureum spargant violaria campum,
Arboreæ fundantur opes, largique rosarum
Luceſcant imbres; ſtent pulvinaria compti
Graminis, & ſylvæ paſſim frondente lacernâ
Conſurgant, Tyrio tingantur paſcua cocco;
Pictáque per virides ſternantur ſtragula ſaltus.
Dixerat, & totum nutu tremefecerat orbem;
Protinus incaluit tellus, uteróque recluſo,
Dedala punicei diffudit germina veris;
Jam ſubit immenſas terrarum evolvere dotes,
Ut miræ referentur opes, quas ubere læto
Porrigit; innumero fundens miracula partu.
Quot florum ſtellæ calathos per prata comantes
Expandunt, centum cum fœta coloribus arva
Pubeſcunt, croceúmque jubar vomit aureus horus?
Hìc promunt patulos argentea lilia crines;
Hìc roſa luteolo rutilans fulgore comarum,
Expandit tyrio florem diffuſa labello:
Tu quoque criſpatas merens Narciſſe per undas
Inclinas frontem, vitreis ſi fortè fluentis
Conſpicias umbram, fluviali margine pandis
Lacteolos crines; niveóque ornatus amictu
Sponſam concilias fragilem, riguúmque liquorem
Ebibis, & priſco nutritur funere radix.
Inſuper herbarum proles pulcherrima campis
Diſpergit ſeſe, foliiſque virentibus hærent
Mirandæ dotes; hìc mellis Amaracus extat,
Hìc Thymus aridens, illic Crocus halat odores
Aureus, & pleno fumant Aconita veneno;

Illic

Illic formosæ Cereris sata pinguia circum;
Turgida flavicomis floreſcunt hordea culmis,
Et gravido meſſis fluctu natat undique tellus.
Quàm variæ paſſim ſylvis frondente coronâ
Arboreæ ſurgunt claſſes? hic bellica cornus,
Enodiſque abies, ſtabilitáque montibus ornus;
Et patulæ fagi piceis capita ardua condunt
Nubibus, aſtrigeroque rotant faſtigia cœlo:
Hic tremulæ ſalices; & amicæ fontibus Alni,
Pendula gramineis præbent umbracula ripis.
Fluctuat hìc denſo criſpata cacumine Buxus,
Hic Hederæ Bacchi latè per devia rura
Lunatis titubant pedibus, gyróque ſequaci
Luctantes criſpo texuntur vimina flexu.
Hic foliis turgens Platanus, gummoſáque cedrus
Umbroſum pandunt clypeum, faſtúque tumenti
Ardua glandiferos attollunt robora ramos.
Illic Pieriæ Parnaſſia vellera lauri
Innuptis rident foliis, vetulæque virentes,
Pallentes Coryli, Mirtúſque & frondea Pinus;
Et Teliæ molles, pomóque onerata rubenti
Arbutus, & curvæ victorum præmia Palmæ
Expatiantur agris, hic vitis opaca nitenti
Prælambit ſponſam nexu, teneróſque lacertos
Explicat, & centum falcatis flexibus ambit;
Pampineæque jubæ radiant auſtróque racemi
Spumant; & nuptæ pendent amplexibus uvæ:
Purpureis diſtenta genis hic poma tumeſcunt,
Prunaque curvatos fulgent onerantia ramos.
Nec tranſire licet gentes celebrata per omnes,
Undique frondiſluis Arbuſta virentia Sylvis:
Gingiber hic mordax, illic perpinguia culta
Roſcida Panchaiis ſudant Opobalſama nimbis:
Hic Caſiæ redolent ſuaves, hic Myrrha benigna

Spirat

Spirat odoriferum pingui de cortice fumum.
Sed quid agam? subitò brumæ jam membra pererrant
Frigora, & insinuans glacies per viscera serpit;
Jamjam diversis animalia mille figuris
Undique circumstant, nervos I sume virilés
Musa, ut perpetuis fundantur carmina rivis.
Gramine luxuriant Tauri, quorum ossea crates
Instar ferrati vectis corroborat artus;
Illi indignantes lunatâ fronte minantur,
Pulchraque per tremulas apparent cornua frondes.
Illic præcipites dependent rupibus Hædi,
Lanigeriq; greges gemmantem rore recenti
Detondent herbam, & cœlum balatibus implent.
Illic pestifero maculosa volumina gyro
Extendunt caudarum angues, stigiósque vapores
Eructant, rabidoque tument fera colla veneno.
Terribilésque apri sonitu nemus omne fatigant,
Horrendo campis hominúmque boùmque labores
Extirpant, ardéntque suis afflatibus herbæ;
Hurida setigeris cinguntur tergora vallis,
Fulmina ab ore ruunt, & faucibus emicat ignis.
Ecce autem atrato sparguntur pulvere nubes,
Dicite Pyerides tantâ quæ bellua mole
Urget iter, solidæque quatit fundamina terræ?
Cornipedem reor esse ferum, qui naribus efflat
Sulphureas ignes, candens nivis evolat imber
Faucibus, & virides cava concutit ungula saltus.
Proximus insedit Leo, majestate virili
Erectus, campóque minax sese arduus infert;
Augustus nemorum princeps, quem turba ferarum
Per lucos & tesqua colunt, nutumque sequuntur.
Hæc cum mille aliis virides animalia terras
Implerunt, pars hæc campis colludit apertis,
Pars montes densisque colit saxa invia Sylvis:

Stridula

Stridula quin etiam muſcarum nubila latè,
Circundant vacuas pennis ſtridentibus auras;
Inter quas Hyblæ cives ad culmina laudis
Suprema aſpirant, qui pulvinaribus herbæ
Inſidunt vernis, & mella liquentia ſugunt;
Ambroſióſque bibunt rores, dum ſole ſereno
Cerea luteoli fingunt penetralia tecti;
Cùm tellus blando florum ſplendeſcit amictu,
Et teſſellato velamine ſylva ſuperbit:
Hi regem obſervant cujus tentoria denſis
Circumſtant turmis, & eundem voce ſequuntur
Horriſonâ, pinguiſque Thymi per prata vagantur.
Carmine melliſluo ſatis hos Latialis Homerus
Jampridem cecinit, ſed nunc plumata volucrum
Agmina ſub ramis ſtrident, pubéſque volantum
Per nemus omne canit, cujus modulamine grato
Evocor, & dulces juvat exaudire querelas.
Sirenes video nemoris, primum ordine longo
Mollia ſub duris fingentes carmina ſpinis;
Dum roſeo Auroram Tithoni ſiſtere lecto
Gaudent illecebris, feſtiváque bella capeſſunt:
Hic mihi ſe profert nunquam celanda tenebris
Fabula, mellito dulcedinis uncta liquore.
Aurea cum Phœbus radiatæ ſpicula flammæ
Cæruleis traxit thalamis, & Lucifer ortûs
Rorantem concuſſit equum, volucrúmque feratúmque
Agmina Lethæo revocavit carcere ſomni:
Cúmque coraliniis fulgens Aurora quadrigis,
Primùm Memnoniæ lachrymas effuderat urnæ;
Fortè ſub arboreâ recubans teſtudine vates,
Per queruli fontis ripas, quem limbus obibat
Herbidus, & glauco pendebat vellere muſcus,
Barbiton increpuit, digitiſque micantibus omnes
Aptavit nervos, & eburno pólice cordas

Percutiens,

Percutiens, campos docuit resonare virentes:
Hunc vicina canens pictis Philomela sub umbris
Audiit, arguto modulamina guttere crispans;
Dulcisonósque ciet cantus, nunc garrula fractas
Obsorbet lachrymas, & mox velut ære canoro
Provocat insensum Martem, mox prefica lessos
Singultit, variisque notis trahit organa vocis:
Obstupuit vates, mellitáque carmina sensim
Imbibit, & solitas mergunt oblivia vires,
Mox tamen innocuo fervent præcordia bello,
Accendítque animum virtus & conscius artis
Alternat Citharæ cordas, nervósque trementes
Tendit, & aligero sonitu nemus omne resultat:
Inde minutatim fidibus deducta canoris
Vox strepitum fundit, dulcis dum fluctibus æstri
Auricomum fluitaret ebur, jam surgit in altum:
Ambrosiósque vomit nimbos, & nectare grato
Fila natant, liquido titubat chelis ebria rore.
Et simulat blandum trepidanti murmure somnum
Deinde susurrantes inter se fila tumultus
Dulcisónamque cient litem, fibræque loquaces
Ingeminant, variántque notas, dum robora ramos
Inclinant, nec non angues feritate relicta
Erecti roseas tendunt ad carmina cristas.
Braehia nunc longo versat labentia tractu,
Nunc levitèr pulsat tactúque cadentia molli
Lambunt plectra fides, nervos dum fusa per omnes
Harmonia insinuans serpit; testudo remugit
Enthea, & immani reboant virgulta fragore:
Pennigeræque notæ per nubila celsa feruntur
Agminibus, citharæque cavæ demissa per alvum
Murmura centeno crispant volventia flexu.
Donec castigans jucundo polite cordas,
Composuit litem festivâque jurgia rupit.

Hìc

Hic demum vates viridis per ſtragula Floræ
Procumbens, hoſtis patulâ bibit aure querelas;
Dum Philomela loquax duplicato carmine vocem
Arte pari promit, fluidique coagula mellis
Gutture labuntur tenero, nunc murmure leni
Saltantes imitatur aquas, modo pectore ab imo
Ficta repentino ducit ſuſpiria fletu:
Mox auræ ſimulat ſtrepitum, dum baſia ramis
Dant tremulæ frondes, pêrque aurea prata volatu
Laſcivo regnat Zephyrus: mox explicat alas
Titillans virides læto modulamine campos;
Donec paulatim longo certamine feſſa
Corruit, & cervix humero moribunda pependit.
Ite leves Nymphæ & Stellatos ſpargite flores,
Vobiſcum pariter mœrens ad funera noſtrum
Ire cupit carmen; ſed cætera turba volucrum
Me rapit, atque animus per devia rura vagatur.
Hìc ſpinis recubant Turbi, filiſque minutis
Nent dulces per colla modos hic mollis hirundo
Nunciat adventi properantia tempora veris.
Illic per pictos componit Acredula ramos
Carmen, & umbroſâ latitant ſub fronde palumbes;
Pica loquax, lauto perdix placitura palato;
Ficedulæque leves regalis fercula menſæ;
Et nunquam veneris Paſſer ſatiatus amore.
Milvus hians, quærulæque grues, & garrula cornix
Dedala frondiferis fingunt penetralia ſylvis:
Illic umbroſo fagi de vertice Alauda
Nunciat adventum lucis, dum limine Eôo
Phœbus inaurat aquas, Tyrio qui cinctus amictu
Ambulat, & puro radiat ſpectabilis aſtro.
Illic amiſſæ deplorat conjugis urnam
Felle columba carens, longóque per arva volatu
Carpit iter mœrens, aut caſtis aëra pennis
Verberat, aut nemorũ per opaca ſilentia lugent; Ac-

Accipitrémque tremit qui fuſſis æthera velis
Sulcat, & ingenti diſſindit nubila roſtro:
Aut Aquilam metuit, ſummo quæ ſæpe tonanti
Sulphureum præbet fulmen, ſolémque tuetur
Elatis oculis, aut fervo ſanguine fauces
Proluit, & celſo prædam rapit ardua greſſu:
Hæc inter pictas moderatur ſceptra volucres,
Ut ſerpentiferis Libyæ Baſiliſcus in oris;
Ut Leo per ſylvas, vitreis ut Delphin in undis.
Hic verò occurrit longum celebrata per ævum
Fabula, quam pulchro cecinit Barſaſſius ore;
Finibus antiquis ubi quondam blandior Orpheus,
Fertur ab umbroſis deducere montibus ornos;
Virgo inſignis erat, nulli virtute ſecunda
Diviriis nec honore carens, cui copia blanda
Riſit, & undantes pleno dedit ubere mammas;
Lacteus in vultu candor, fulſêre comarum
Vellera Barbarici nodis criſpata metalli;
Fudit aromatici pretioſa volumina fumi
Halitus, & roreo volucer Titanius ore
Compoſuit buſti cumulum, potuítque videri
Pallas ſi galeam ferret, ſi ſpicula Phœbe.
Cum ver purpureum radianti prata Smaragdo
Cinxit, & aurato fulgebat ſyrmate tellus,
Forte urgebat iter per inhoſpita teſqua virago
Venatrix, curſúque feras agitabat & arcu;
Cum ſubito avertens oculos, ſub culmine rupis
Conſpicit implumes aquilas, quæ Sole ſereno
Pandebant ſiccas fauces, dum ſedula mater
Sanguineam petiit nemoſa per avia prædam.
Vnde manu tandem ſtratis de mollibus unam
Traxit, & in gremii candentibus abdidit antris:
Protinus alato ſervis ſecat horrida dumis
Rura pede, & celeri torquet veſtigia paſſu.

Donec

Ac-

Donec ad optati devenit tecta parentis:
Hìc lenis volucer posito feritatis amore
Edidicit dormire sinu, dominæque vocantis
Sectari vocem, prædam per nubila raptam
Duceret, & nutu prorsus penderet herili:
At demum febris glacialis, tela pruinæ
Visceribus spargit, brumámque infundit inertem
Ossibus, & penitus marcentes pascitur artus;
Puniceum decus oris abit, nativáque languent
Lilia, purpureo viduantur labra rubore:
Pæonias medicus nequicquam porrigit herbas,
Nam morbus grassatur ovans, & jura sororum
Ferrea labentis ruperunt stamina vitæ:
At volucer tantum rígido sub pectore vulnus
Ferre nequit demens, clangoréque æthera rupit,
Et quoniam lacrymæ desunt, secat Ungue rigente
Plumigerum latus, hinc fumo cruor emicat ardens,
Purpuréoque lavat pallentia membra liquore:
Basia nunc figit labris, pérque ardua collá
Avulsas spargit plumas, nunc carmine rauco
Stridulat, & luctum mœrentibus auget amicis.
Jam virgo in Stigiis errabat frigida ripis,
Ostia turma micans facibus circumstat, & ingens
Exoritur tectis gemitus, cælúmque remugit;
Dum turgens oculis lachrymarum defluit imber.
Ferales fumant Taxi, stat triste ferettum,
Quod populi attolunt humeris, noctísque per umbras
Egressi, extructo posuêre cadavera ligno.
Tum volucer plangens stimulis agitatus amorum
Labitur in medios ignes, flammísque recumbens
Funereum tremulo cecinit de gutture carmen;
Inque sinu dominæ sopitus morte quievit.
O fælix inter volucres! te nulla tacebit
Posteritas, memorésque ferent in sæcula fasti,

Hoc pietatis opus, feriunt dum littora venti,
Dum rotat astra polus, volvunt dum marmora fluctus.
Sed quò Phœbe rapis? non hic suprema laboris,
Meta mei, rursum per inhospita tesqua revertens,
Aligerum intactas lustrabit musa cohortes.
Hìc Pavo radians Lunatæ sidera caudæ
Explicat, & croceo pennarum vere renidet.
Non sic innumeris variata coloribus Iris
Nubibus apparet, roseo dum fulminat ore,
Et tessélato velamine sternit olympum:
Ille suas miratur opes, plumásque micantes
Pandit, & elato turgent præcordia fastu:
Illic implumes peregrina ciconia pullas
Nutrit, & in summâ componit abiete nidum:
Hic vigilans gallus connixus gutture rauco
Garrit in adventum solis, dum mane recenti
Auroræ pallescit equis aflatus Horizon.
Olli stellantes sublimi in vertice cristæ
Acre rubent, canis cinguntur tergora plumis,
Et quatiens alas immani voce leonem
Sternit magnanimum, rostróque immugit aperto;
Gnomen villarum, & cœli certissimus Augur.
Nec te transirem volucrum pulcherrime Cygne,
Cygne lacus fluviósque colens, quem fratre peremptò
Populeas inter frondes, umbrámque sororum
Mulcentem vigiles gracili sub arundine curas;
Plumarum albenti velo properata senectus
Texit & argenti sparsit lanugine corpus.
Hùc quoque frugiferis Phœnix celebratus in oris,
Divitis Asyriæ properat velocibus alis;
Ne mea mirandas celaret pagina dotes:
Hujus enim volucris totum diffusa per orbem
Fama ruit, noménque ferit laquearia cœli;
Purpureus gemino de lumine fulminat ignis,

Et radiant duplices ſtellato in vertice criſtæ;
Fulgent ceruleæ per terga & pectora plumæ,
Cauda roſis diſtincta micat, maculiſqve ſerenis
Pingitur & molli collum ſubnectitur auro.
Qui poſtquam annorum nimio ſub pondere labens
Sentit adeſſe necem, per frondea rura vagatur,
Vernáque florentis diſcerpit germina nardi,
Cynnamáq; & pingui lachrymantem cortice myrrham
Et ſuavem tondet caſiam, quibus ordine fuſis
Arboreo placidum componit vertice buſtum:
Interea tacet omne nemus, non imbrifer Auſter
Horriſono tonat ore, ſilent arbuſta, comæque
Temnunt ventorum fremitus, Zephyróque jubente
Sibilat arboreis aura interfuſa capillis:
Non glacie violant gelidi nemora alta Triones,
Nec fera marmoreis furit urſa maligna pruinis;
Clauſus hyperboreis Aquilo captivus in antris
Mugitum frœnat madidâ nec prodigus urnâ
Deucalioniacos effundit Aquarius imbres;
Jámque tridentiferi ſpumantia dorſa tyranni
Qui ſecat, & rudibus diffindit cætula tonſis:
Felicem carpit ſecuro tramite curſum:
Sollicitis etenim curis natura laborat
Anxia, ne volucer cunis aboleſcat in ipſis.
Protinus æquoreis Phœbus caput erigit undis,
Fumantéſque attollit equos, currúqve rotato
Aurea convexi ſcandens faſtigia cœli;
Luſtrat Aromatico contextum vimine nidum,
Et dulces lectos, ubi ſe Titanius ales
Condidit, ætheræ ſperans incendia flammæ;
Extemplò roſeus telis celeſtibus agger
Fervet, & emiſſi vibrantur nubila fumi;
Hic tandem Phœnix puro combuſtus ab igne
Languet, & æternam vivaci morte juventam

Prorogat, & dulci ſurgunt cunabula buſto:
Hactenus externas terræ luſtravimus oras;
At nunc paulatim fœcundæ in viſcera matris
Ire libet, penitúſque imas reſerare cavernas,
Hic radians aurum cumulis ingentibus ardet:
Hic Chalibes, ferrumque minax, hic æra rubeſcunt,
Et candent niveis argentea flumina venis.
Quinetiam lapides varii, quos flammea Solis
Spicula ſub ſolidis gignunt penetrantia terris:
Igneſcens Adamas, fulgenti ſydere gliſcit,
Et rutilo vomit ore faces; carbunculus auro
Illitus, & viridi florentes luce Smaragdi:
Berillus, Saphirus, Onix qui ſponte latentes
Abſcondunt ſeſe, Stygii prope regna Tyranni.
Salve prima parens tellus, quam frondea vitta
Ambit, & herſutis, velat capita ardua ſylvis;
Te fontes vitreique lacus ſaliéntibus undis
Circumdant, placántque ſitim; Te flammeus axis
Cingit, & iratis marmor circumtonat undis:
Te veſtit gramen, te palla Smaragdina florum
Sternit, te circum volvuntur lucida curſu
Sydera, flammivomis orbem pulſantia bigis.
Sed veluti rapidis cum fluctibus obruit orbem
Omnipotens, ſilvis poſuêre cubilia Phocæ;
Quæque prius viridi pulſavit vertice nubes,
Abdita delituit tumido ſub gurgite quercus,
Cúmque per herboſos ſpumantia marmora campos
Ibant, & fuſo ſuper ardua culmina velo
Stagnarunt montes; tum cùm cecidiſſe putares
E cœlo pontum, aut cœlum deſcendere ponto:
Haud aliter primum, tua forma oppreſſa latebat,
Nec quicquam niſi limus erat, nam lubrica Tethis
Syrmate in undoſo teneros velaverat artus;
Donec rex orbis ſortem miſeratus iniquam

Clausit marmoreos scopulosо in carcere fluctus:
Hic autem Neptune tuas evolvere dotes,
Pierius menti calor incidit, enthea spiritu
Pectora & Aonidum turgent præcordia flammis.
Jam satis ô Musæ virides habitabimus oras,
Frugiferos linquam colles, vos Tetqua valete
Frondefluum nemus & spumantes nectare valles.
Remige jam parvo per liquentia viscera volvor
Æquoris exiguoque vehor per vasta Phaselo.
At qui cæruleï latrantia regna profundi,
Volvis, & immanes sulcantem Protea fluctus,
Imperii sub sceptra premis, latumque tridentem
Tollis, & undosa veheris super æquora curru;
Marmoreïsque rotis argentea prata profundi
Diffindens, liquido frænas sub gurgite pisces:
Jam rugas depone maris, vitreâque per oras
Vincantur molli fluitantia marmora somno;
Placati niteant fluctus, nimbisque fugatis
Fusca repurgato vanescant nubila cœlo.
Scilicet ut tutus penetrarem viscera ponti,
Et mea securo tendantur carbasa vento.
Gramina, quot vernis radiant stellantia campis,
Quot sylvis frondes, teneris quot vitibus uvæ,
Tot varii pisces per spumea rura vagantur;
Natáque cæruleas ingentia monstra per oras,
Effingunt molles vitreo sub gurgite ludos.
Illic Balænæ patulis de naribus omnem
Oceanum eructant, tremulæque volumina caudæ
Versant, & salsos tollunt ad Sydera montes:
Hic curvum si fors Scolopendra voraverit hamum,
Visceribus revomit mixtis, & clade fugatâ
Ingentes pandit fauces iterúmque resorbet.
Horum nonnulli liquido sub gugite ludunt,
Stagna petunt alii, & denia conduntur in algâ

At veluti cives longâ obsidione peractâ,
Candida florigeris redimiti tempora vittis
Discurrunt, pictisque docent mitescere sertis
Ardentes galeæ cristas, juvat ire per omnes
Sylvarum tractus, & aperto ludere campo:
Haud aliter cum terra novo splendescit amictu;
Totáque gramineis vestita tepetibus arva;
Distinctus maculis & pulchro pectore Salmo,
Luxurians squamis fluviasi vorticis undâ
Labitur, & pictos ripæ depascit honores.
Insuper antiqui quondam cecinere Poetæ,
Diversa æquoreos habitantia numina campos;
Ordine primus adest Glaucus, cui plurima mento
Canities intonsa riget, muscóque madenti
Frons tegitur, scopulisque cavis sinuantibus arcum
Pectora tinguntur: Delphino Proteus amplo
Hunc sequitur, cujus rubicunda corallia vestem
Intexunt, viridésque comas pervinca sequaci
Amplexu lambit, dextram tenet anchora mordax;
Spumeáque immani sub pondere murmurat unda.
Hunc premit Ægæon vastus, cui cærula palla
Puniceis ridet conchis, vitreisque catenis
Lactea colla nitent, electri vincta monili
Brachia lucescunt; & faucibus evomit undam:
Hinc etiam manant terræ diffusa per artus
Flumina, crispato ripas lambentia gyro:
Quorum lympha fugax querulo per prata susurro
Volvitur, & pictis vestit dumeta lacernis.
Hinc Rhenus, Rhodanúsq; padúsq;, hinc profluit ingens
Thamasis Angliacæ lenis sulcator arenæ;
Innumeris aliis; sed jam Neptunia Tethys
Spumam agit, & vastit consurgit montibus æquor;
Quare age, fessa ratis sinuosa in littore tandem
Figitur, & certo portum tenet anchora morsu.

Stellantes cœli cameras, magnique tonantis
Amphitheatra canam, terrenas discute fæces,
Pictáque flammantis scande ad fastigia templi
Musa, nec æthereas pudeat transire per arces.
Lumnia quæ roceis cœli suspensa fenestris
Eructant ignem, celeri molimine bigas
Præcipitant agiles, tenebrasque in nocte soporâ
Aurifluis terrent radiis; & versa sub axe
Lubrica perpetuo designant tempora motu
Hæc pater omnipotens gemnio sub cardine mundi
Fixit, & æternâ partim statione locavit:
At septem stellæ variis ambagibus actæ,
Nativo volitant cursu, nec desinit unquam
Nunquam errans error, stabili nam jure movetur
Orbita, nec cunctis eadem tribuenda potestas.
Æthera Saturnus liventi pallidus astro
Lustrat, & obtusâ fuligine flectit habenas;
Qui rugis sulcat frontem, quem plumbea vestis
Cingit, & ignavo torpescunt frigore gressus.
Jupiter inde hilari circum fulgore coruscans,
Leniora spectu prodit, torvúmque parentem
Ignibus emissis placat. tum proximus ardens
Sanguineis bellator equis Adamantis amictu
Fulminat, Iratus vulcani labitur æstus
Vertice, & undantem cassis movet horrida flammam.
Et veluti rutilo delabitur, imbre comætes,
Squallentésque comas ignitaque vellera pandit,
Lurida terribili volvens incendia gyro:
Haud aliter Mavors infesto sydere pallens
Nascitur, antevolant clades cum cladibus, iræ,
Ambitus, & famulo vesana superbia ferro;
Ille supercilium nigrâ rubigine tinctum
Obliquâ producit acu, terrísque minatur:
In medio ignepedum Phebus frænator equorum,

Volv

Volvit flammiferos cœli per compita currus;
Candentésque rotæ radiis flammantibus actæ,
Ordine scintillant; stellâ fulgentior axis.
Apparet, fusæque vomunt incendia gemmæ.
Qualis mane novo Thalami de limine conjux,
Pictus acu Chlamydem Tyriisque coloribus ardens,
Egreditur molli Juvenum stipante coronâ;
Nant niveæ per colla comæ, myrrhâque madescit
Spiritus, & roseis longè radiantia flammis
Gemmea syderios imitantur lumina vultus;
Talis cæleſti Titan deductus ab Aulâ
Exit, & ardenti rutilat vestitus in ostro.
Haud procul Idalio rapitur Venus aurea curru,
Cujus purpureis latè diffusa roseis,
Frons micat, & fulvâ nodantur Jaspide crines;
Illa cupidineas figit sub corde sagittas,
Et leviter mollem venis instillat amorem:
Furtivâ tacitas flamma populante medullas.
Inde renidenti radiante Cylenius alâ
Præcipitat sese, qui fas per limen utrumque
Solus habet, geminóque facit commerica mundo;
Interpres superum, & magni Legatus Olympi.
Ultima noctivagis fulgens Latonia bigis
Apparet, vitrei moderatrix sola profundi;
Ignea palla nitet membris Ebonique corona
Vertice stat summo; quâ gemma argentea roris
Dependet liquidi: cœlique per ardua scandens,
Passibus obliquis, volventia sydera lustrat.
Signorum paritèr bis sex pellucida classis
Cærulea fulget Zonâ, quam divite cultu
Fimbria syderiis complectitur obsita bullis:
Limine primo Aries stellato vellere ludit,
Janitor arridens Anni; Brumámique senilem
Phryxæo figit cornu; quo sydera tellus

Dædala

Dædala purpureis sertis redimitur, & ingens
Stellanti pictas consternitur Iride campus.
Proximus obliquo procumbit poplite Taurus,
Cornibus argenti nutans, vultúque sereno
Consurgit; qui mox fæno ne forte careret,
Gramineo virides cingit velamine campos.
Hunc frustrà gemini sectantur præpete lapsu,
Flammea stelligeris præcincti tempora sertis;
Jam virides turgent rami, jam pinguia vernis
Gramina luxuriant campis, silvásque per omnes
Garrula discordi strepitu vergulta loquuntur.
Cinnameis Zephyrus pratorum ventilat alis
Pascua, dum roseos Tellus exhalat odores;
Jam mollis lascivit amor, jam turba ferarum
Copulat, & veneris fervet notissimus ardor.
Inde octogeminis cœli per cærula remis
Festinat Cancer, Curvo qui Brachia gyro
Flectit, & ardenti circum coquit arva calore:
Nunc auro gravidas retro sol versat hebenas
Lucidus, humentem penitus conversus ad Austrum.
Deinde Leo rabide tumidus, vultúque minaci
Emicat Ætnæos eructans faucibus ignes:
Tergora vallantur stellis, flammáque rubenti
Barba crepat, totóque fluunt incendia vultu.
Haud procul aurato cœli laquearia verrit
Syrmate vergo rubens, cujus frons ignea vivis
Tota nitet diffusa rosis; stellantia fulgent
Vellera, lacteolo leviter fluvitantia collo.
Jam Tellus solitos sponsi fastidit amores,
Virgineos imitata modos; non frugibus arbor
Intumet aut gravidis onerantur fœtibus agri.
Quódque priùs Terræ gremium tulit ubera læto
Carpitur, & flavâ turgescunt horrea messe:
Tum Libra auratas suspendit splendida lances,

Ponder

Pondere quæ justo fugitivas dividit horas;
Proximus obliquæ sinuosa volumina caudæ
Scorpio monstrum ingens, cœli per flammea templa
Explicat; Et Stygiam vomit atro gutture noctem:
Hunc stellatus eques glaciali cinctus amictu,
Cuspide Brumali sequitur; galeamque nivalem
Concutit, & madidis dependet Syria cristis
Quem Juxta Ægoceros tardo molimine saltans
Fertur, & oetheriæ scandit fastigia rupis;
Tempore quo primo taciti rex aureus Anni
More capellarum flagrantem ascendit Olympum:
Inde refulgentem complexus Aquarius urnam,
Diffundit vitreum Chrystalli gurgite flumen;
Quo gemini Pisces nitidis colludere squamis
Gaudent, & longo rivos fulcare notatu;
Insuper Arctophylax Ariadnæque coronæ,
Et Canis, & Sterope, nautisque infestus Orion;
Centauriique minax, & pleiades Atlanteæ:
Sydera quæ latè gemino sub cardine cœli
Nascuntur, morbósque ferunt mortalibus ægris.
Pandite sublimem nobis Helicona sorores,
Plenáque Castalio date pocula spumea vino;
Dum nova divinis oneratur pagina cœptis:
Jam te Phœbe canam, docti da carminis ignem;
Da Sacros motus, ut anhelo turbine raptus
Ætherios premerem montes, currúque rotato
Ardua convexi lustrarem mœnia mundi:
Sol qui perpetuo tempus revolubile gyro
Depromit, nitidas medio molitur habenas
Aureus astrorum Princeps: procerumque catervis
Cingitur, atque alii peragunt sua jussa Planetæ.
Ille refulgentem vitreo de marmore currum,
Fumantéque attollit equos; & more Gigantis
Armati, ætheream cursu petit arduus arcem:

Arma

Arma ſonant humeris, pendent poſt terga ſagittæ
Flammiferæ, & rutilis vibrantur tela lacertis;
Flammarum lorica minax immania cingit
Pectora, & undantem caſſis vomit aurea fumum,
Cœlatum Pythona gerens; ſimul aſperat Indus
Velamenta lapis, pretioſis filia Pyropis
Ducta nitent, Amethyſtus ineſt, viridique Smaragdo
Lucida fulminei criſpantur vellera crinis.
Ille hymen nimbóſque fugat, picéóſque vapores
Diſſipat, & longo rumpit per nubila tractu.
Rurſus ad Heſperias præceps cùm labitur oras
Linquit Horyſontem, croceiſque Antichthona bigis
Perluſtrat, noſtrumque diem tranſcribit ad Indos.
Ordine cùm primo ſignorum argentea plauſtra
Cæruleis ſtant verſa rotis, tum Dædala tellus
Parturit & roſeæ Zephyrus dat baſia Floræ;
Arva ſinus laxant, lætóque in gramine pingues
Inter ſe adverſis luctantur cornibus Hædi:
Aurea tempeſtas florum per Janthana prata
Depluit, & croceâ ſparguntur grandine montes.
Carcere liber equus ſpaciis laſcivit apertis,
Undantéſque jubas per colla minantia jactat;
Factea cæruleis equitat per marmora bigis
Neptunus, ludíque vadis genus omne natantum;
Blanda ſerenati fert indulgentia cæli
Optatos ſine nube dies, & lympha ſuſurrans
Mordet arenoſam criſpato gurgite ripam.
At poſtquam currus ſignorum in parte ſecundâ
Vertitur, & Tropici tranſit per brachia Cancri,
Ignibus arva coquunt; patulâ pecus omne ſub ulmo
Terráque fiſſa gemit; criſpataque Flumina paſſim,
Fumantem volvunt limum, ſquammoſáque late
Agmina ſiccatis: languent morientia ripis;
Inde Autumnalis Lybræ ſeu limine Scorpii

Igni-

Ignipedes flectuntur equi; quo tempore primùm
Autumnus properans gravidum caput erigit arvis;
Olli pampineis cinguntur tempora vittis,
Grandinat ore Ceres spumosique flumina vini
Purpureis delapsa comis, per frondea rura
Errant & suavi funduntur Aromata fumo.
Undique detonsi fumant sudoribus agri,
Pulchraque frugiferâ Pomona sub arbore ludit.
Denique cum gelidæ Brumalia limina Capræ
Flammivomum Pyroënta tenet abducta pruinis
Terra gemet rebuant venti; dum montibus altis
Vellere Lacteolo pendet nivis horrida lanx:
Thraeceo Boreas demens prorumpit ab antro,
Horrificosque ciet flatus, lapidosque grandos
Decutit arboribus frondes, nubesque lacertis
Sylvanus languet, pavidam vibice flagellat
Lubricus imber humum, spumant vada &, æquore verso
Sydera cœrulio Neptuno Syrmate verrit,
Lucida concretis radiat Chrystallus in undis,
Undique flent Dryades; caperant nitentia frontem
Nubila, & irato volvuntur ab æthere nimbi.
Gramina per totos marcent morientia campos,
Quæque prius niveo rutilarunt lilia crine,
Albentes lassa calathos cervice reponunt.
Jam non Argoa contendit temige pinus
Marmoreum superare vadum, non lintea rauco
Dant secuta Noto, pigro dum frigore Torpens
Alget humus, canoque latent velamine rura.
Sic Sol purpureis orbem complexus habenis,
Lubrica inexhausto deducit tempora motu,
At varios pariter Lunæ referare labores
Convenit, atratæ quæ sola incendia nocti
Præbet, & undivagis pelagi dominatur in oris;
Illa ubi Syderei percussa cupidine fratris

Divite

Divite luxuriat cultu, flammisque serenis
Emicat, & pleno surgescit lucida cornu:
Quæ contra Phœbi roscis amplexibus orba
Ingemit, & dubio mœrens pallescit amictu.
At cùm luna silens flectit per mare jugales,
Inferior nitidum si fortè subieris orbem
Solis, & obtusæ perfregit spicula lucis
Terrarum oppositu; tenebris mox aurea lampas
Abditur, & piceâ tegitur rubigine vultus:
Donec sanguinio paulatim membra rubore
Induit, & croceo pallorem discutit igne.
Sic ubi firma stetit fabricati machina mundi
Humanam speciem fragili de pulvere Terræ
Finxit, & ætherio perfudit numine pectus;
Ecce repercussi puro tremit igne sonantis
Gleba, & regali cœlatur imagine vultus:
Jam calor, emissus fæces exoxit mortes,
Purpureúsque cruor molles dilabitur artus,
Pulchra coralinio depingens ora rubore;
Tum Pater Omnipotens cœlestem flaminis auram
Ingerit, & sacris implet præcordia flammis;
Divinámque dedit mentem, quæ vivida semper
Tendit ad astrigeras constanti tramite turres.
Illa etiam quamvis cæco sit carcere clausa,
Sæpè refulgentis stellantia limina mundi
Errat; ubi volucres præbet meditatio pennas;
Jámque secat nubes, jam flammea curà vagatur,
Nocturnámque facem, rigidi latus Orionis
Conspicit, Æoös Atlantæósque recessus
Oceani penetrat; sub utróque jacentia Phœbo
Littora pervolitat, nulliúsque abnoxia damnis
Immortale viget: non morbus & ægra senectus,
Non ferri clades nocet, & cùm corporis hujus
Frigida funereâ mors condidit ossa sub urnâ,

Ardu

Ardua cognati ſuperat faſtigia cœli ?
Perpetuo manant fuges ubi nectare riui.
Hæc arcana docet reſeratis penetralia rerum ;
Quas teneant Elementa vias ? quæ fabrica mundi
Materiéſque fuit ? veterem quâ lege tumultum
Secrevit Natura parens ? quò ſaxa creantur ?
Grandinis ? vnde maris fluxus ? quis in æthere fulgor ?
Cur Tellus concuſſa tremit ? cur carcere fracto
Æolii reboant fratres ? quæ linea Phœben
Damnat, & excluſo pallentem fratre relinquit ?
Horrida ſanguinei quæ portant damna Cometæ ?
Quid rubeat cœlum, ſolis dum Aurora quadrigis
Depingit nitidi faſtigia ſumma Cathayæ ?
Qua ſtant Antipodes ? quæ ſint ea limina Thules
Vltima ? monſtra ſolo quot ſint immania vilu ?
Quid vehat obliquus ſtellanti Baltheus auro ?
Quid jubar Ægocerotis agat ? quid candida virgo ?
Quid moveant Piſces ? calidi quid ſigna Leonis ?
Et quid in his Genetrix rerum natura figurat ?
Cur ità Brumales properent ſe tingere Soles
Oceano ? vel quæ tardis mora noctibus obſtat ?
Sic poſtquam imbuerat ſtabilis prudentia ſenſus
Erigitur pedibus, ſplendeſcit eburnea moles
Verticis & claras diſpergunt lumina flammas ;
Miratur Terræ faciem ; magnique Tonantis
Templa, quibus pictis intexti claſſibus auri
Gemmea puniceæ radiant examnina lucis :
Jámque ſoli Princeps aderat, qui ſub juga flectit
Quicquid marmoreo voluit ſub gurgite Nerei ;
Omnigenáſque feras per frondea rura vagantes,
Aut quodcúnque volans levibus ſecat aëra pennis.
At ne prolis inops ſteriles conſumeret annos,
Mollia torpenti perſtrinxit membra ſopore
Ætherius mundi Rector ; tacitiſque medullis

Implicuit

Implicuit glaciem, vellóque abduxit ahæno
Lumina, tum costam laterum de cratibus unam
Traxit, quâ demum muliebres extudit artus:
Cujus purpureus niveo certamina lacte
Fingit in ore rubor, radiat coma gratior auro
Mittit ab Eois quod decolor Indus arenis,
Stat Rosa verna genis, & circum albentia colla
Candida lacteolos depromunt lillia crines:
Marmore crura nitent, & pulchri pectoris Alpes
Nix æterna tegit, riguo, formosior horto
Ventris planities; perque omnia membra venustas
Spargitur, & dulci fundantur Balsama voce.
Jamque viri clausos Morpheus teseravit ocellos,
Cùm subitò vacitis arserunt pectora flammis
Conjugis aspectu; cultus pudor occupat ambos,
Osculaque Ambrosiis miscent festiva labellis:
Protinus igniferi summus moderator Olympi,
Corda verecundo nectit calefacta tepore;
Jussit & insigni deducere stemmate prolem.
Qui postquam placido lustraverat omnia vultu,
Rursus in astrigeram lætus se sustulit Aulam.

FINIS.

Vita

Vita Rustica.

Fœlix qui propriis vitam transegit in arvis,
Et fugit insitabilis jurgia rauca fori,
Non illi Assyrio fucatur lana veneno,
Divite nec cocco Palla retincta viget;
Marmore Mygdonio non lucida tecta refulgent,
Aulave Barbarico sydere sparsa nitet:
Pocula dant fagi, virides dat flora tapetes;
Vinaque de puro dulcia fonte bibit.
Non timet iratis eversum flatibus æquor,
Carpathias equitat cùm Pater Eurus aquas;
Milite sanguineo non dira tonitrua belli.
Aut tremit armigeri classica rauca Dei:
At primùm radians cùm Sol caput exerit aureum,
Et matutino Lucifer ortus equo,
Egreditur; volucrique movens vestigia passu,
Roscida festino sub pede rura secat.
Mox petit umbrosæ frondosa cacumina sylvæ,
Sternit & herbosis languida membra toris;
Fons ubi pulchrifluus summo de vertice collis,
Dædala mobilibus gramina lambit aquis:
Et pede crispato per pinguia pascua ludens,
Lapsa susurranti pumice gutta crepat.
Cùm Sol Æthiopes Tithoneaque arva relinquens,
Flectit ad Arctöas aurea lora plagas;
Hortorum renovat Pompam, ramosque superbos
Amputat, aut curvo vomere findit humum:
Cùm caput Autumnus ridentibus erigit arvis,
Puniceisque comis spumea vina fluunt,
Purpureas uvas aut poma rubentia carpit,
Aut flavæ Cereris vellera falce metit.
At cùm Bruma rigens glacialibus arva lacernis
Sternit & albenti Syndone vestit humum;

Per

Per nudos saltus studia exercere Dianæ
Gaudet, & horrendâ concutit arma manu:
Pectore sic placido curas depellit inertes,
Sic fallit tacitis tempora lapsa rotis.
Sæpe venenatis pallet fulgoribus aurum,
Securos haustus fictilis urna dabit:
Sarcina curarum nummos comitatur iniquos,
Et quò plus partæ plus situuntur opes.
Sæpè creat vigiles fulgens domus aurea noctes,
Dum pauper tenui cespite tutus erit:
Fœlices ideò blandi quos gloria rurîs
Et grati nemoris roscida tesqua juvant.

In Christum dormientem.

MOrpheus somniferis orbem complexus habenis,
Dicitur in Christi delituisse sinu;
Et jam complectens sedati corporis artus,
Mollia spiranti pectora morte tegit:
Quique prius nunquam pressos reseravit ocellos
Perculsum effigie numinis esse ferunt.
Et Domini spectare sui non posse figuram,
Credibile est fluctus indoluisse maris:
Arrectis pedibus niveum caput exerit æquor,
Et vitreis oculis inspicit unda ratem:
Et furiosa nimis nunc puppis mœnia pulsat,
Nunc falsis lachrymis icta carina madet.
Lugentes pariter fundunt suspiria venti,
Et causam gemitus aura susurrat aquis;
Nevè Deo tanto terrestris turba noceret,
Quà possit fluctus tollit ad astra ratem.
Squammigerumque pecus tremulo dat Basia ligno,
Caudâque marmoreos cærulo findit agros;

Se

ed manus indocilis somni dissecuisse habenas.
Et sopor invito cessit ab ore pedes.
de viris Morpheus pœnam pro crimine læsus,
Horrida nigranti somnia nocte dedit.

In Cladem Londinensem tormentario pulvere nuper effectam.

Nox erat, & tacito mulcebant stagna susurru
Sopitos volucres, silvásque & frondea rura,
Omnigenúmque feras campis sopor altus habebat;
Cùm subito exoriens Tempestas sulphuris atri
micat ingéntémque movet per nubila fumum:
Non tantùm quoties proruptis Ætna caminis
Horrendum sonat, accensas liquefacta per auras
axa volant, piceúsque ambustæ nimbus arenæ
ellitur, & rauco tonitru cœlum omne remugit:
Horrificò quantùm tabulata excussa fragore
Desiliunt; furit emmissis Vulcanus habenis,
gniferáque quatit tedas, & fulmina mille
flammarum ejaculatur atrox; stridente tumultu
Horrida per latos volvens incendia vicos.
Desuper ille tuens flammas deducit ovantes,
Hortatúrque ferox, iratâ luce diescit
Æther; & excussam tremuerunt sydera noctem:
Jámque trabes, tabulæque volant, postéque domorum,
eminecésque artus nube involvuntur eadem.
nterea populi glomerantes agmine longo
Conveniunt: stat terra tremens, dum pondere vasto
Nutat, & immani penitus sub mole recúmbit;
nter se agnoscunt passim lacerata suorum
Corpora & emmissis humectant fletibus artus:

Eheu

Heu quàm vario iudebat sors lubrica motu!
Quos modò fœlices rutilo conspexit ab ortu
Sol pater; hos misero & crudeli funere mersos
Nox videt; Hesperio dum limine flectat habenas:
Tanta est humani dubia inconstantia fati.

In Esau.

Jure quidem summo natalia munera quondam,
Perdidit esuriens munere juris Esau.

In Christum 10 leprosos mundantem.

Tu subitò mundos facies bis quinque leprosos
Christe, decem mundos qui fabricare potes.

In Christum Asino ad Solymam tendentem.

Ite triumphales turmæ, lauróque comanti
Turritus Solymæ sydera lambat apex;
Frondea lætantes consternant nubila vicos,
Floráque odoriferâ grandine spargat humum:
Principis eve novi fulget regalis imago,
Gratáque cadenti defluit ore salus:
Nomine si tanto decorari digna fuissent
Carmina, nec pudeat dicere Christus adest.
Alteriùs Solis miratur lumina Titan,
Et radiat duplici lampade picta dies,
Jam Tellus Asini cursum lætatur inertem,
Scilicet ut Domini sit mora longa sui;
Et forsan strati regitur velamine panni;
Ne pateat tanto conspicienda Deo.

Cæsare

CÆSARIS ELOGIVM.

C. IVLIVS CÆSAR

Lucii Cæsaris F. lux Cæsarum & Pater,
Romanus Alexander, Terræ Mars:
Omnibus tam metuendus, quam mitis;
Pretium fecit seruituti.
Victo orbe Vrbem victricem orbis vicit.
Defuêre illi hostes, hostem habuit Patriam,
Ne deesset unquam quod vinceret.
Ingratam Patriam patriis armis puniit.
Eam vicit invitus, quâ vixit invitâ.
Qui Romæ propugnator non regnavit, regnavit expugnator:
Pro Roma triumphârat, de Roma triumphavit:
Amavit tamen inimicam, nolenti profuit.
Sæpe à fulmine lauro servatus regiâ,
Quem inermem timuerunt arma, armata necavit toga:
Cessit Civibus Cæsar Cæsus:
Serò cognitum luxit Patria,
Viventem hostem, mortuum vocavit Patrem,
Parricidium confessa cùm patrem dixit.
Disce lector.

Melius sæpe quæ non habes vides, quàm quæ habes.

CÆSAR
Per mare innatans commentari os gerit.

HOrrida felici rumpit freta pectore Cæsar,
Librũ læva regit, dextra flagellat aquas:
Dum mare Cæsareæ formidat verbera dextræ,
Currit inoffenso tuta sinistra libro:
Dextera fitremus, navis tua corpora, Cæsar,
Vela chlamys, malus læva, volumen opes.
Ibitis illæsæ metuenda per æquora merces,
Naufraga non poterit tanta perire ratis.

CÆSAR
Scribit suos commentarios.

QVæ modò fulmineum vibrabat dextera ferrum,
Pacatos calamos sanguinolenta regit.
Scribit dextra eadẽ calamo, quæ gesserat ensem:
Hoste vetustatem deficiente ferit.
Nulla tuæ, Cæsar, celebratæ gloria dextræ,
Aut ferro, aut calamo si caruisset, erat.

C

CÆSAR
Contra Iubam pugnaturus Augurium ſpernit.

Effugit attonito ſacris data Victima Vate,
Nudáque deluſis linquitur Ara focis.
Impavidus metuenda videt præſagia Cæſar,
Captaq; neglectis promovet arma ſacris.
Fortunam ſed enim, vel ſeſe conſulit unum,
Non capit à profugo præſcia fata Bove.

CÆSARE MORTVO
Sidus novum apparet.

Sidereum repetit, cui ſe ſubduxerat, Axem,
Et quæ celârat lumina, Cæſar habet.
Impia ſecretum manifeſtant vulnera Numen,
Stellaque per lacerum libera corpus abit.
Tranſtulit imperiũ Cœlo dum linqueret Orbẽ,
Par erat ut victo vinceret Orbe Polum,
Iam conjurata prodeſt injuria dextræ,
Magnum, quem voluit perdere, Roma facit.

AVGVSTI ELOGIVM.

D. AVGVSTVS OCTAV. CÆSAR.

Patris virtutem contraxit filius Patre major,
Illi corporis forma Imperium promisit, Animus dedit:
Privatus Imperatori similis, Imperator privato fuit.
Doluit Patria cùm Principem fecit, gavisa cũ habuit;
Timebat carnificem, medicum experta.
Ad bellum natus, bellum fugavit.
Motus est Orbis illo moto, quievit quieto.
Brevis pugna pacem peperit longam:
Abortum fecit fortuna.
Iani templum solus clausit, Musarum solus aperuit.
Quibusdam non caruit vitiis, vitiorum severus ultor:
Quæ admittere pudebat, committere non puduit:
Hôc tantũ se Hominẽ probãs, quod in humana incidit.
Qui Deus habebatur inter homines, cæpit homo haberi inter Deos:
Demum Nolæ, volente fato,
Invictus viris, victus à Fœmina,
Obiit sol Patriæ oriens ploratus, ploratus cadens.
Disce lector.

Quo præsente expiraturum te putas, fortè suspirabis, si absit.

AV-

AVGVSTO

Comedenti Aquila panem rapuit.

Dum prædes tibi furtivo Iovis armiger auſu
Ambeſas avido diripit ungue dapes.
Ab Jove conſuerat diviſam ſumere menſam,
Te ſimilem cernens credidit eſſe Iovem.

Dei nomen iniquè aſſumit.

Vno bina videt miracula tẽpore Mũdus,
Cedere Roma Deo prodigioſa negat.
Nam Deus humanos, dũ ſe tenuavit in artus,
Parvus Homo, ingentem ſe facit iſte Deum.
Ille Homo cùm fiat, Divus non deſinit eſſe,
Cùm Deus hic fiat, non ſinit eſſe malus.
Major es ergo Deo, vel nomen fingis iniquum,
Cæſar, non potuit, quod potes ipſe Deus.

AVGVSTVS

Auditâ Civium clade caput ad parietem allidit.

TRũca vidẽs Populi derisus corpora Cæsar,
Aspera semineci marmora fronte petit.
Scilicet ultricem genialis vulnere niti
Pallada conatur: se putat esse Iovem.

AVGVSTVS

Veneno ab Vxore (ut putatur) propinato interit.

CRuda novercalis cõmiscet fœmina succos,
Cæsar & in pateris ultima fata bibit.
Pastus vipereis vitâ fugiente venenis,
Ad lentam properat pallidus ora necem.
Namq; hostes rabidi Furiarũ ut maximaRegẽ
Perderet orârunt, perdidit Vxor Anus.

TIBERII ELOGIVM.

CLAVDII TIBERII NERONIS

In obſcuro atramento clareſcant geſta, ſi poſſunt:
Hic Liviæ F. Auguſti Privignus
Matris mores tenuit, non vitrici:
Acuto in peſſimis ingenio, obtuſo in optimis:
Dexteram fortunam, ſiniſtram virtutem habuit,
Triumphator aliorum ſæpe, nunquam ſui.
Repugnante vitrico, Matre propugnante
Ad Imperium ab exilio venit, in exilium miſſurus imperium;
Tam ſceptri amans cum non haberet, quam amens cum habuit.
Sponte ſe Roma Tyranno tradidit; Tempori ſerviens, non Regi.
Cives preſſit ut aurum exprimeret.
Simulatione Proteus,
Non unquam magis hoſtis, quam cum blandus.
Manu hamabat, amabat vultu.
Capreis marceſcens Romæ aderat
ferro, ſi non conſilio:
Fame nepotes perdidit, ſuæ famæ nepos.
A Nepote tandem perditus, obiit:
Huic lætas Populus exequias fecit.
Diſce Lector.

Mores non mutat qui gradum mutat.

TIBERIVS

Etiam noctu res objectas videt.

ACcipitérne rapax, metuẽdave noctua furtis
Sit Cæsar; dubiũ est: est tamen alteruter.
Accipiter nil nocte videt, nil Noctua claro
Fusca die: Cæsar nocte diéque videt.
Est utrũque igitur: pavidæ migrate volucres,
Non vobis nox est, non bene tuta dies.

TIBERIVS

Fame occidit nepotes.

NVtrit Amyclæũ Romana per antra Leonẽ,
Nutrit & Hircanæ Claudius ora Feræ.
Cæsaream lambit saturatáq; Vipera dextram,
Humanas capiunt lubrica monstra dapes.
Quæris jejunos cur perdidit ille Nepotes?
Non tantas poterat pascere Roma feras.

TI-

TIBERIVS
Dum tonat lauro ſe cingit.

AVdit iners, metuit, ſtridẽtia fulmina Cæſar,
Sulphuream nimbo parturiente facem.
Quaſque ſerenato temnebat ſidere frondes,
Adjungit tepidis nube tonante comis.
Erraſti: quin te quia cingit Regia laurus,
Regia te Cæſar fulmina concutient.

TIBERIVS
Fame perit.

ABripit expreſſis quãtũ petit Vrbibus aurũ:
At nequit aurivorũ ſolvere dente famẽ.
Illyriis gravidum ſuſpirat meſſibus Iſtrum,
Devorat optatas Cæſar, & ardet, opes.
Quicquid Romanâ metitur ſine lege ſecuri
Flagrat, nec toto frangitur orbe fames.
Deſine conſulto tua, Cæſar, Aruſpice fata
Quærere: vis dicam? tu moriere fame.

CALIGVLÆ ELOGIVM.

CLAVDIVM CÆS. CALIGVLAM

Ex clade Heroũ, ex cede nominis, ex caligine oblivionis
perge vindicare Fama.
Qui in Mortis castris vitam habuit.
Nondũ puer, jam Miles, priùs gladiũ vidit, quàm Solẽ;
Vt Mavors ortus, ut Bacchus vixit.
Fortior infans, quam adultus,
Præposteram habuit ætatem.
Tantum ut Imperium raperet sui ortus memor,
Tiberio vitam cum vitâ rapuit,
Ejus sanguine suam chlamydem purpuravit,
Regiam laurum messuit gladio;
Quamvis laureâ contẽptâ primus aureâ coronã gessit,
Aurum Imperii, non laurum amans.
Deus credi voluit,
Humana vitia Deorum commendans nomine.
Immortalitatem affectavit mortalis:
Demum sua morte mortalitatem est fassus,
Nam inter milites ortus inter milites obiit,
A milite vitam accepit, & mortem.
Disce lector,

Fortis est non qui inter fortes nascitur, sed qui fortiter vivit.

CA-

CALIGVLA

Naſcitur in campo.

CÆſar ut incluſus materno carcere ſenſit
Claſſica, non potuit tædia ferre mora.
Intempeſtivo diſcindit viſcera nixu,
Sanguineamq́ petit ſanguine tinctus humũ.
Vt clypeo exceptus novit volitantia pila,
Natalem gemuit ſe celerâſſe diem.
Crediderat ſed enim pateras audire ſonantes;
Deceptum ſimili ſe videt eſſe ſono.

CALIGVLA

Primus aureum diadema tulit.

PRimus Apollineâ commutas fronde metallũ
Cæſar, & auriſero ſtringis in orbe caput.
Non ſano capiti fragiles per tempora frondes
Non ſat erant, nodo te meliore ligas.

CALIGVLA
De milite natus à milite occiditur.

Quẽ dederant vitæ Martis feralia Castra,
Eripuit vitæ Militis una manus.
Mars animũ dederat, sed cũ te, perfide, Baccho
Persimilem vidit, quod dederat repetit.

CALIGVLA
Saturnalibus diebus addidit Iuvenalem.

Foemineas Cæsar cùm fastidire calendas
Cæpit, & hæroam sistra perosa manum,
Saturnalitiis Iuvenalia festa diebus
Iunxit, & attonitâ distulit Vrbe Iocos.
Crede, nec ingratus Iuvenalia munera Civis
Accipiet: Dominum non sinet esse senem.

CLAV-

CLAVDII ELOGIVM.

CLAVD. TIBER. CÆSAR

Ante Imperium ſine fama fuit, quia latuit.
In Imperio infamis, quia non latuit;
Clarior erat, ſi fuiſſet obſcurior.
Hic in angulis gladium fugiens ſceptrum invenit.
Quem cæſum volebant Patres, Cæſarē fecit miles.
Vecors, ſtupidus,
Stultus prudentibus, prudens ſtultis viſus.
Iuris gladium tam periculosè vibravit quàm ignavè:
Calamo feliciùs quàm gladio uſus.
Avorum geſta ſuo calamo teſtatus,
Sua geſta nepotum calamis liquit deteſtanda.
Triumphavit ſemel, pugnavit nunquam,
Timida fortuna (ut Elephas) Victoriā aborta eſt.
Honores contempſit carens virtute,
in hoc tantum juſtus.
Cenſurā Cenſore dignus, Dominiū ſub Domino geſſit.
Liberti libertus, Vxoris ſervus,
Omnia in Imperio habuit præter Imperium:
Vxore unâ occisâ aliam habuit Vindicem,
Veneno ab Agrippina ſublatus.
Diſce lector.

Ignavos ſi per vim extollas, per vim deprimes.

CLAV-

CLAVDIVS

In latebra occultus Imperator fit.

IMperii fugiens lucem latebrosa subivit
Cæsar: quàm Princeps maluit esse Fera.
Conscia mẽs sceleris pronum formidat honorẽ,
Ægra manus sceptri pondera ferre nequit.
Desine Roma Ducem nolentẽ velle; quid urges?
Non volet is sceptrum ponere, quando volet.

CLAVDIVS

In Imperio vitam inertem ducit.

FOemineâ temerata manu regalia Cæsar
Sceptra gerẽs, partũ perdidit omne decus.
Regius illustrat latitantia crimina fulgor,
Quem toga celabat, prodit aperta Chlamys.
Obscurat claro in solio sua nomina Cæsar,
Clarior in latebra, si latuisset erat.

CLAV.

CLAVDIVS
Plures aquæductus condit.

Cærula Romanas quæ proluit unda ruinas
Cæsareo liquidum munere fundit ebur.
Qui Tiburtinis Anio subductus agellis
Civis in Ausonias se stupet ire Domos,
Quique per infracti peregrinus vulnera mõtis
Transfuga Romuleâ Fucinus urbe fluit,
Et piger attonitis qui torpet fluctibus amnis
Cæsar cuncta tua sunt monumenta manûs.
Exigit undarum te Principe Roma tributum:
Terrarúmque caput, vult caput esse Maris.

CLAVDIVS
Non exit ad pugnam.

Piger, abstrusis te vecors eripe Thermis:
Iã vocat ampla tuas barbara preda manus;
Hostibus aucta seges Romanis falcibus auget
Materiam: tantæ sunt tua damna moræ.
Providus Imperii jacturam Claudius horret,
Imperium in latebris servat, ubi dederat.

NERONIS ELOGIVM.

NERONIS CLAVDII *CÆSARIS*

Aude, calame, vel scribere nomen, vel projicere:
Calamis pungatur, quos gladio acuit.
Hic inter privatos optimus, inter Principes pessimus fuit:
Regno dignus nisi regnâsset.
Depressit illum fortuna dum erexit,
Molles illius mores in duris, indurere in mollitie.
Dum laurum acquisivit Regiã, palmã amisit populare.
Victoriam sceptro terruit:
Regia fascia eò tantũ usus, ut malè sanũ verticẽ ligaret:
In quem Imperium projecit fortuna ut frangeret.
Patriæ Dominus non Princeps fuit.
Domum Augustam fecit, angustam Vrbem.
Matris viscera quæsivit ferro, dubius an ferrea essent.
Cui occisæ Romam fecit Rogum.
Patriam incendit, ut extingueret.
Romæ demum vitam reddit cum suam projecit:
Qui Nero fuit aliis, sibi non defuit Nero,
Injustus aliis Iudex, justus sibi.
Alienũ sanguinẽ quem biberat per sua vulnera regessit.
Defuit extincto rogus
Ignis avara fuit Roma, quæ tantũ ignem acceperat.
Discelector.

Dedignatur terra tegere, qui terram dedignatur tangere.

NE-

NERO
Iuflammat Vrbem.

ORbẽ, Roma, novũ metuenda potẽtia Regũ
Te facit, ipſe tuas invidet Orbis opes.
Trãquillas Genitor dederat tibi Romulus auras;
Saxea telluris Viſcera Tarquinius;
Claudius abſtruſis vexit tibi ductibus Vndas,
Ignea ne deſint fert elementa Nero.

NERO
Dum ardet Roma, Cythara canit.

Nõ patriæ Cæſar lachrymis, nõ igne movetur,
Amittunt vires ignis, & unda ſuas.
Dum videt ambuſtũ Patriæ fumare cadaver,
Exequias hilari ſolvit honore lyræ:
Vincere Thebani tentat miracula fabri,
Condidit illè urbem, deſtruit iſte lyrâ.

NERO
Matris ventrem lacerat.

MAtrisab infracto prodit fera lubrica vẽtre,
Atque oritur Lictor filia quæ latuit.
Non oblita sui Romana est Vipera moris,
Quos oriens nequiit, frangit adulta sinus.
Frangere nõ poterat tã ferrea viscera nascens,
Fregit cùm potuit ferrea facta manus.

NERO
Seipsum occidit.

VIvere Nestoreos meruisti Claudius annos,
Nõ nisi cũ lachrymis te tua Roma vocat.
Tigris erat qui te feriit: petat ergo sceleſtus
Tartara: Caucaseam viscere pascat avem.
Cursibus æternis illum Rota versa fatiget,
Tantaleam nequeat solvere fonte sitim.
Non Nero (vaticinor) saltem morieris inultus:
Ille tuo, qui te conficit, ense cadet.

GAL-

GALBÆ ELOGIVM.

SERGIVS SVLPITIVS GALBA

Elogia qualia libebat audivit Vivus:
Qualia licet mortuus audiat.
Veritas posthuma Patrem non timet.
Pasiphaës filius credi voluit, non Achaiæ: credatur,
Non nisi ex Pasiphaë fluxit Minotaurus.
Ab Sulpiciis degener, suppliciis genitus.
Neroni suffectus est Nero.
Non tyrannum amisit Roma, sed mutavit.
Fero Iuveni senex furens successit, Immaturo putris.
Auri Scylla, gemmarum magnes,
Fortunæ simulacrum coluit, à fortuna delusus:
Tam fortunæ quam aliis onerosus.
Tribus libertis regendum sceptrum dedit;
Ne pauciores Romã, quàm Avernũ affligerent furiæ.
Durus aliis, sibi mollis
Timorem exegit, odium elicuit:
Tam timore dignus quàm odio.
Milites ad alienum sanguinem alliciens, ad suũ allicuit
Dum fictis armis mortem provocat,
Veris necatur.
Disce lector.

Mortem non spernant qui mori timent.

GAL-

GALBÆ

Ad pedes Victima ſacrificanda fugit.

Tauras adoratus fuerat moriturus ad aras
Senſerat, & dubiæ vulnera certa necis.
At fugit, & ſacro fœdavit ſanguine Galbam.
Geſtatus bijugis dum ſonat altus equis.
Quod petis aufugium? qualem fugitiva ſalutem
Victima? Carnificem dum fugis, ecce petis.

GALBA SACRIFICANTE

Puer qui miniſtrabat repentè caneſcit.

Dum ſacra jejuno deſignat vulnera cultro,
Ante coronatum Galba cruẽtus ebur.
Aureus argento mutatus canuit Infans
Intempeſtivâ diriguitque nive.
Infelix Roma es, Galbæ ſi liquerit enſem;
Imminet en propero cana ſenecta pede.

GAL,

GALBÆ

Bis in ſomnis offertur Fortuna.

TE Dea velivolo quæ trãſigit æquora tergo,
Vt Sceptrum caperes viſa rogare fuit.
Inde relabentem cùm jam te cerneret annis,
Se tibi rapturam, quod dedit antè, monet.
Te Iuvenem, gemmisq́, levẽ Fortuna ferebat,
Ditior & Senior fis gravis. Eſt mulier.

GALBÆ

Emortui caput haſta circumlatum ſaxis petitur.

FAma eſt in gelidũ cõſpecta Gorgone Saxũ,
Viſcere torpenti diriguiſſe Viros.
Prodigium majus: quod ſummâ devebis haſtâ
Lixa caput, longè ſaxa animata vocat.
Infernæ majore Domus tortore ſonabunt:
Quarta Erebũ, major Gorgone, Dira petit.

OTHONIS ELOGIVM

M. OTHO SYLVIVS,

Sylviorum Sylveſtris palmes.
Paterni animi tenax, pecuniæ prodigus hæres.
Auri avidus, ut evomeret,
Quæſturam geſſit, quæſturam poſuit.
Neronis intimus, intimè Nero fuit.
Dignus qui Neroni ſuccederet eſt acclamatus.
Non tamen à Nerone Regnũ accepit ut Hæres,
Quo illud furaretur ut Nero.
Pari facto cum Nerone accepit, pari fato dimiſſurus.
Aere alieno obrutus
Sceptra accepit ne periret,
Periit, quia accepit.
Faces Civiles ſuis odiis accenderat,
Debuit ſuo ſanguine reſtinguere
Qui in adoleſcentia otio ſeneverat, ſenecta non egit.
Suorum ſcelerum ultor fuit:
Oculos ſibi prius effodit:
Parva jactura, cum iis non uteretur.
Cæcus deinde cæcam mortem quæſivit ferro:
Non tamen cæca erravit manus.
Diſce lector.

Malis ſi deſit Carnifex, ſibi non deſunt.

OTHO-

OTHO

Diti ſacrificans, litat quod dirum erat.

SI tua Semideũ Patri cadat Hoſtia, Cæſar,
Tabida fumoſis ignibus exta ſonant.
Si Diti cadat ante aras: jam Mulciber inſons
Integra ſincero viſcera dente vorat.
Infelix Cæſar! vel ſint tibi numina læva,
Vel dextra, ipſe Diis Otho ſiniſter eris.

OTHO

Rapax eſt alieni.

CLaude flagellatas, mercator, marmore gazas
Othonis penetrat marmora clauſa manus.
Turbato concede mari tua lucra, Britanne,
Extrahet immerſas Cæſaris æſtus opes.
Si pedibus, quãtũ manibus valet, Otho valeret,
Aerias curſu vinceret iſte grues.

OTHO
Priuſquam ſe occidat oculum ſibi confodit.

Omni Sororem Vulgus ut mortem vocat,
Dormire credit Otho quos cogit mori:
Quin ipſe cæde Civium laſſus gravi,
Tandem depoſitis ocium telis petit:
Iſtinc ſtrepentes jam recedant Aulici:
Dormire vult, cœpit feneſtras claudere.

OTHO
Seipſum occidit.

Mille Tyrannorũ, Cæſar, tormẽta mererù,
Et tamen eſt crimen ſi tibi tela para.
Te quicunque necet pius eſt, tamẽ ipſe ſceleſtu
Es ſi te ferias: eſt ſcelus eſſe pium.
Te damnat cœlum, te conſcia Tartara damnat,
Es reus, at lictor non potes eſſe tui.
Quã malo es Cæſar? quæ te pia numina luſtrẽt
Crimina? ſi pietas te facit ipſa reum.

VI-

VITELLII ELOGIVM.

AVLVS VITELLIVS

Se à Fauno originem trahere putavit:
Iure quidem,
Niſi ille ſemiferus fuiſſet, hic totus ferus.
Adoleſcentiam ne quæras, Capreis in ocio perdidit.
Ætas virilis notior fuit, non melior.
Auri ſuccinum, aurum etiam ex Templis traxit,
Diis auferens quod Sortis daret.
Præſes ſceleſtorum, præſidium ſcelerum,
Famam fœdavit filii ſanguine.
Imperium ex Othonis cinere collegit;
Quæſitum diu, mittendum citò.
Vitæ diſpendio parvum mercatus compendium:
Cæſaris nomen recuſavit,
Cæſarianæ virtutis augurium fugiens.
Perpetuò Conſul, perpetuò inconſultus:
Fami non famæ conſulit,
Diis ſacra gulæ ſacrabat.
Fucus Imperii frugem perdidit:
Vt fucus in purpuræ Roſa citò periit.
Statim privatus Imperio, qui privatus ſemper fuit non princeps,
Per Vrbem Raptus, riſum inſanis dedit moriens
Qui ſanis lachrymas dedit vivens.
Morti ſacratus eſt vitulus, ut Martem placaret.
Diſce lector.

Imperium etiam mali adeunt: boni tantùm tenent.

VITELLIVS
Mendaciſsimus eſt.

Cũ gereret tumido te Cæſar, viſcere mater,
Quid gereret fertur conſuluiſſe Deas.
Iuno Vir, inquit, erit: nõ Vir ſed fœmina, pallas
Vtraque decepta eſt, ſemivir ille fuit.
Haud reget, hæc, regnum; regnum reget, alter
dixit;
Vtraq́ decepta eſt, haud regit, haud regitur.
Prima, peribit aquis: Siccâ, hæc, tellure peribit;
Vtraque decepta eſt, cœno humilis periit.
Quem non decipiet duplici Vitellius ore;
Quando fatidicas decipit ille Deas.

VITELLII
Capiti Gallus in Foro inſedit.

Auſonię dum jura dabat Vitellius Vrbi,
Imminuit capiti præſcia Solis Avis.
Inſidias cave diſpoſitas, jam tela parantur,
Miſsa tibi volucris nunciat, ut vigiles.

VITELLIVS
Ad ſcalas Gemonianas occiditur.

Raptus ad infames Gemoni ſanguine ſcalas,
Improbe, Romani ſcena furoris, obis.
O quicunque tibi ſimilis ſe extollere Regno
Ambit, per ſimiles ſurgat in Aſtra gradus.

VITELLIVS
In Tiberim projicitur.

Phœbeum Phaëton ſe credidit eſſe nepotem,
Aulus item ſobolẽ ſe putat eſſe Deũm.
Ille furens patrii petiit moderamina Currus,
Hic petiit patriæ flectere frena ſuæ.
Ille animã Eridanâ flãmaſq; extinxit in unda,
Sorte pari Auſonio mergitur iſte vado.
Hoc variat ſortẽ: lachrymat Phaëtonte cadẽte
Populus; at videt, dum perit hic, Populus.

VESPASIANI ELOGIVM.

FLAVIVS VESPAS. CÆSAR.

Tertius Divus, Secundus Augustus, Primus Pius.
Afflictæ Vrbi tandem datus,
Solus præcessore melior.
Solus ad Imperium evasit, non invasit.
Solus è vita discessit, non fugit.
Romam Romæ restituit, sanam fractæ,
Dignitatem Imperio dedit cùm accepit.
Patriæ verus Parens, quia verus Filius.
Templum Pacis excitans templis pacem reddidit.
Ad spectacula Theatrum dedit,
Spectaculum seipso nobilius dare non poterat.
Dignus spectari quem Cæci etiam spectârunt:
Dignus Imperator quo jubente Claudi currebant.
Iniquis æquus, injuriarum morsus linivit oblivione.
Hierosolymæ ut fores clauderet, Iani fores aperuit.
Vt pacem pareret nupsit Bellonæ.
Sceptri caduceo pacis sõnũ induxit, sõnũ induxit oci
Sed hem serò datus, citò rapitur!
Cessit divino fato, qui excessit humana fa
Stans Obiit.
Mortem terruit cùm animam efflavit.
Discè lector,

Principem decet stantem mori.

VES

VESPASIANVS
Amphitheatrum condit.

Quis? quis Erythraeis animat properãtia ripis
Marmora? quo rupes nudaq́, ſaxa volãt?
Oceano mirante Paros procul innatat omnis:
Currit in Auſonium terra Pelaſga Mare.
Heu quæ Romuleâ moles ſeſe erigit Vrbe?
Proxima marmoreus ſidera pulſat apex.
Naufraga ſiderea minitatur machina puppi,
Pallidus, & pavidos Sol retroegit equos.
Vel tua, vel ſuperûm ſunt hæc miracula Cæſar,
Orbis enim in primo clauditur Orbe novus.

VESPASIANVS
Comicos introducit.

Reddidit Auſoniis ſcurrilem Cæſar arenã,
Et repetis ſolitos, Hiſtrio falſe, jocos.
Provocat alba chelys cordacem carmine ſaltũ;
Prima theatralis jura Bathyllus habet,
Migret Oreſtæus, Tragicæ concedite Muſæ
Scenam aliis: regnum Veſpaſianus habet.

VESPASIANVS
Portentum videt.

Aera per vacuum cernis pendere bilãcem
Ante Palatinas, Vespasiane, fores.
Altera crudelem pensabat libra Neronem,
Altera te mitem pendula concha tenet.
Par onus utrinq́ est; pendetis lancibus aquis;
Tam ferus es Cæsar, quàm fuit ille pius.

VESPASIANVS
Viso cometâ crinito jocatur.

Qui rubet infausto fecialis crine cometes
Barbaricum Regẽ, cui coma lõga, vocat.
Sic rasus loquitur, fallens sese omine Cæsar:
At vatem occidit flammea stella suum.
Flava hac Cæsaries Flavî, est tibi noxia Cæsar.
Odit enim rufum Stella comata caput.

TITI

TITI ELOGIVM

TITVS VESPAS. CÆSAR

Flavii Veſpaſiani imago,
Patriæ ſe Patrem pro Patre dedit.
Ante Imperium ignavus, moleſtus, crudus,
InImperio gnavus, modeſtus, clemens.
Relictos Patris mores in ſolio invenit:
Vapor elatus ſtella fulſit.
Exuit animum cum purpuram induit.
Lupus invaſit regnum, evaſit Paſtor.
Prius aurum omne voluit quod amavit,
Tum illud donavit quod voluit.
Prius ferro corpora, tum animos auro figere didicit.
Munis officiis in immunes officiis
Patris incepta perfecit Patri.
Hieroſolymam victam victimam ſacravit Famæ,
Suum ſcripſit nomen cùm Vrbem delevit.
Tanto animo breve Imperium fuit,
Quod diu meritum biennio liquit.
Breve Regnũ cupiebat Roma cum Regẽ illum accepit,
Longum cupiit cum amiſit.
Diſce lector.

Non ſemper fortuna non mutat mores.

TITVS
Imperio accepto fit melior.

Crudus eras, Cæsar, privatâ degener Æde:
Ductus ad Imperium mitis es, & melior.
At tuus in patrio germanus limine clemens
Omnibus, in Regni perfidus arce furit.
Virga Caduceas artes num Regia servat?
Efferat en mites, mitigat una feros.

TITVS
Templum Hierosolymitanum inflammat.

Heu, heu, bacchantem qui frænent æquora flammam?
En alitur templo depereunte focus.
Frigida Romanæ serpunt per marmora tedæ:
Nulla homines flectunt vota, nec ulla Deum.
Flamma profana sacrũ conatur perdere Famũ,
Maxima mox parvũ templa cadaver erũt.
Prodigus Jsacidum Cæsar cupit esse Sacerdos;
Non tantum Vitulos, integra templa litat.

TI-

TITVS

Bis venenum bibit, primò impunè, ſecundò obiit.

HOſtili medicata manu cum cæcuba ſorpſit
Titus, inoffenſo viſcere monſtra tulit.
Intrepido attonitus ſub pectore torpuit anguis,
Immemor ipſa ſui mors alimenta dedit.
Fraterna medicata manu cum cæcuba ſorpſit,
Irruit in tumidum vipera fuſa jecur.
Per cava ſerpit hyems venarũ clauſtra, repertis
Mors ſubit auxiliis, victaque vita fugit.
Diſce novũ virus: cùm non vis ulla veneno eſt,
Iratam Fratris (Theſſala) quare manum.

TITVS

Statim ab Imperio accepto obiit.

AVrea regalis tetigit cùm põdera ſceptri
Titus, mortiferâ falce reciſus obit,
Vitam Oltra fugat; jam cedro laurea cedit:
Degener ad feretrum purpura pompa fuit.
Invida tam rectum viderunt Tartara Regem,
Vt regeret ſedes hunc petiere ſuas.

DOMITIANI ELOGIVM.

FLAVIVS DOMITIANVS,

Sub malo punico natus ad malum publicum,
Ex Flavio Vespasiano.
Quàm malos ramos bonæ radices agunt!
Felix genitor erat, si tam fœcundus non fuisset.
Hic anteà fortis in Regno marcuit.
Purpuram Nessi sanguine tinctam induit,
Capitolium intravit semel, non ductus, sed pulsus.
In Theatro bellator, spectator in Campo.
Fratrem sustulit, ut se extolleret.
Gemuit rursum Roma, inducias experta non pacē.
Sub Principe legibus vincto respiravit soluta:
Sub soluto, victa fuit Serva.
A Fratre uno vitam, mortē ab alio accepit Imperium:
A Patre medicinam, & vulnus.
Scena interdixit Histriones, solus Histrio daturus scenis
Hostibus Musca, Muscis Hostis fuit.
Gladium prævidit, culpas videns suas,
Non tamen vitavit.
Disce lector.

Prævisa mors malos terret, non corrigit.

DOMITIANVS
Muſcas venatur.

TErribili armatus ferulâ volitantia Cæſar
Agmina Muſcarũ provocat, urget, agit.
Pugnat nigra Phalanx, telũ gerũ ore, tubāq́,
Ipſa ſibi telum, dux, eques, & lituus.
Cæſareæ ſed enim ſuccumbit copiæ dextræ,
Parvāq́ non parvũ corpora vulnus habent.
Apula nativis ſpoliantur compita monſtris,
Muſcarúmque genus perdidit una manus.
Quin domitis de more feris jam Cæſar ovâſſet,
Sed qua axem traheret muſca nec una fuit.

DOMITIANVS
Vites recidi jubet.

SOla Ceres profugo luget viduata marito,
Negligit arentes pectere flava comas.
Vitiferum prohibet frondeſcere Cæſar Iacchũ,
Pulſus ab Auſonio margine Liber abit.
Scilicet humano ſe poſt quam ſanguine Cæſar
Proluit, iſta ſitit pocula, vina fugit.

DO-

DOMITIANI
Ante obitum Cornix loquuta est.

HOrrida Tarpeio crocitans in marmore cornix,
Edidit humanos prodigiosa sonos.
Prodigiis turbata novis tota horruit Aula,
Præsagam metuit Domitianus Avem.
Quid metuis, fera cùm loquitur? miracula, Cæsar,
Tam consueta times? non tu etiam loqueris?

DOMITIANI
EPITAPHIVM.

FXcisa truncis germina immersit ferox
Hydra Superbior Virorum Carnifex.
Cæsar fuit, cædens, dein cæsus perit:
Horret calentẽ strage marmor: postquã eum
Mors hic momordit reddita est crudelior.

CA-

CAROLVS EMANVEL DVX SABAVDIÆ.

Diu poſt obitum deſiderabitur, qui deſiderari antè cœpit quàm naſci.
Illum quippe infœcunda jã Mater votivũ ſuſceperat,
Vt principum prodigium prodigio naſceretur:
Nam principes Natura donat, Heroas Deus.
Maximo itaque Genitori major ſucceſſit infans.
Vt annis acerbus, Imperio maturus.
Alterius gremio gerebatur, & populos gerebat alis.
Senſit divinã indolẽ Philippus, cùm ſibi generũ aſcivit:
Toto enim orbe circumluſtrato nihil majus Carolo invenit.
Quàm auſpicatò conjugium ceſſerit proles docet:
Si Mars Minervæ nuberet, tales naſcerentur.
Novem edidit liberos tam numero, quam ſublimitate cœlos æquaturos.
Solent amorũm tædæ, armorum tædium afferre;
At ille de conjugali thoro, ad ſubjugandos perduellium toros digreſſus,
Amorem Martì initiavit.
Exinde Carolum nemo vidit niſi armatum.
Nam regnis majoribus ineluſam ſortitus ditionem,
Timeri debuit, ne timeret.
Eò metuendus omnibus, quòd neminem metuebat.
Arces longè munitiſſimas expugnando, deſertiſſimas propugnando.
Bella cum magnis Regibus
Imparibus armis ſemper concepit, paribus ſemper conditionibus confecit:

Num-

Numquam victus nisi proditione, numquam victor nisi virtute:
Nec ingenium, ut solet, oppressit galea
Nam æquè ingenii ac ferri acie bonus.
Ita sapientibus Apollineam, uti Militibus Martiam præripuit laurum:
Incertúmque fuit
Magisne calamo, an gladio invicta sit Regũ manus.
Prudentiâ tam perspicaci, ut callidior quibusdã sit visus.
Ignorante vulgo finitimũ Regnũ potentioribus invisũ.
Tutiùs æstu, quàm hastâ servari,
Ac geminis anguibus Mercurii virgam interponi,
Regiæ demùm virtutes,
Quæ in aliis fuerunt singulæ, in uno Carolo sunt singulares:
Sed omniũ maximâ magnanimitatẽ solus totã excepit.
Nam sæpe læsus, semper lætus,
Docuit nihil contra fortitudinem posse fortunam.
Itaq; hanc omnium posthumam virtutem explevit.
Nam dextram Cæsari datam ut servaret, sinistris armis circumventus;
Maluit inter arma ferè septuagenarius occumbere.
Dixeris infectum bellum consultò reliquisse,
Ne victori Amedæo filio nihil vincendũ relinqueret.
At heroico planè funere decoratus est heros.
Nam orbe toto exequias anticipante,
Exundãtia luxerũt flumina, caduca illuxerunt fulmina:
Tum gladiatorios videlicet ludos præbente fato.
Gemini Martis asseclæ Collaltus, & Spinola,
Ad Caroli Inferias pro victimâ ceciderunt.
Gratiis verò lugentibus, grato dictante genio
Magno Mœcenati suo hoc Elogium effl evit

Emanuel Thesaurus Soc. IESV.

EIVS-

EJVSDEM

CARMINA.

SITIENTE EXERCITV oblatam aquam reſpuit Cato.

AFrica belligeros amburit arena Quirites,
Nullaq́ jam querulæ ſubvenit unda ſiti,
Forte breves galeâ legit udo è pumice lympha,
Demeruitq́ levi munere Lixa Ducem.
Delicias oculo ſpectant ſitiente phalanges;
De nihilo Princeps invidioſus erat.
At Cato defectis quamquã trahit ilia venis,
Attonito intactas Agmine ſpargit aquas.
Principis exemplo dolet agrũ mitiùs Agmen,
Nulla ſitim culpat, nulla querela Ducem.
Augebat ſpectata ſitim procul omnibus unda,
Iam ſparſa excuſſit omnibus unda ſitim.

Attritis Arcuum nervis Romanæ Capillos ſufficiunt.

Victor Agenoreos Tybris dũ vẽdicat Hoſtes,
Vulnificum nervus deficit Indus ebur.
Irrita ſecurus deridet ſpicula Pœnus,
Et ſua felici ſpargit inulta manu.
At non Auſonidũ latuit ſolertia Matrum,
Nimirum Auſonidum ſat fuit eſſe genus.
Cornibus attexunt ſibi quos minuere Capillos,
Martia fœmineus munera crinis obit.
Spicula luxuriant tenero vibrata Capillo,
Spicula tam crebras nulla dedere neces.
Fœminei ſed enim lethalia tela Capilli
Sẽper erant: quid cũ ſpicula, & arcus erãt?

Flam-

Flammam pudicitiæ teſtem Nupta impunè tractat.

TEſtatura fidem jurata Lalia dextra,
Pronuba magnanimâ ſert elemẽta manu.
Attonitas inopina tenet reverentia flammas,
Caſtaq́ ſupplicium Dextera verſat iners.
Si tibi lava fuit mea credule Dextra Marite,
Sit rogus iſte mihi Tæda jugalis, ait.
Teſtis mira fides. Propriæ qui crimine Nuptæ
Non tacuit, Caſtam Mulciber eſſe probat.

Servatorem ſuum ſervat Leo.

TAbentem levi trajectus cuſpide plantam
Flebile Marmaricus perſonat antra Leo.
Fors ea Venator luſtrat juga: tum Fera prodit,
Is pavet, hæc ſubitam ſaucia poſcit opem.
Tractat fulmineos medicus jã certior Vngues,
Et medicum pavidæ ſe ſtupet eſſe Feræ.
Inde Theatrali captus dum ſervit Arenæ
Appoſitum memorì protegit ungue Leo.
Mites eſſe Feras, Homines docuere: viciſſim
Vt ſit homo humanus en Fera capta docet.

Illæſo

Illæso Filio serpentem circumvolutum perimit Pater.

ADspicit amplexũ nati peritura Draconẽ
Colla pater: mors est, quælibet acta mora.
Protinus in viridem iaculo collineat Hostem,
Et læso illæsus prosilit Angue Puer.
Figitur in solo docilis Serpente sagitta,
Et præscripta Patris lumine signa tenet.
Nunquam sinceri iaculum mentitur Amoris:
Id malè collimat, quod malus urget Amor.

Patrem famidevotũ lactat Filia.

FOemina per dẽsas intrat generosa Phalãges,
Quid pater est lentâ iussus obire fame.
Arida per vacuas numerat ieiunia venas,
Ossaq́ deducta prospicit alba cute.
Ah dolor! affectare dapes cavet arduus Hostis,
Iamq́ famem Genitor, Nata dolore perit.
At malè fœmineo dũ verberat ubera planctu,
Quid queror hoc, inquit, pectoris aucta penu?
Ergo patri lautas impendit nata papillas
Fitq́ patris Genetrix ingeniosa sui.
Expugnat rigidum pietas deprensa Tyrannũ,
Corpora non passum tam bene pasta mori.
Quã nõ vincet amor causã? movet ecce tyrannos
Et mites, legem transgrediendo, facit.

MATER

MATER HEBRÆA filio veſcitur.

Quã Patriæ peperit miſerã ſibi devovet eſu
Cognatis dapibus luxuriata parens.
Ingeſtus materna puer per viſcera currit,
Cuna idem venter qui fuit, urna fuit.
Plaudunt exemplo Furiæ. Iam vicimus, aiunt
Invidiam, populus nos facit iſte pias.

Periclitante Patre loquitur impeditus Cræſi filius.

Segnia regalis, vegeto jam firmior ævo,
Non poterat vocis ſolvere vincla puer
Proditor ecce neci patrem cùm poſceret enſis
Evomuit facili verba reperta viâ.
Extremis Natura malis eſt provida. Primus
Servârat Patriâ propietate ſonos.

Avarus

Avarus ſuperſtitioſus.

Quando dives ero? ſecũ quærebat Avarus:
De ramo Corvus, cras, ait: & tacuit.
Auguriis firmata bonis ſua vota moratur
Cras populaturus quas malè condat opes.
Ergo auro ingentẽ miſero dum præparat Arcã
Cras perit: atq; Arcâ conditur ipſe ſuâ.
Nec mala fatidico volucris mentitur. Avarus
Cùm moritur, Dives incipit eſſe aliis.

Durante ſpinâ perit Roſa.

Auroræ ſoboles Auræ pulcherrima Rore
Paſcitur, atq; perit cum Genitrice Roſa.
Spina ſed in longum ridens felicior ævum
Hæres deciduæ vivit acerba Roſæ.
Hoc Natura licet? ſpinum ſervare nocentem,
Atq; hilarem ſubitâ plectere morte Roſam,
Eſt Roſa flos Veneris; Veneriſq; ſimillima flori,
Quod cruciat longũ eſt, quod placet exiguũ.

In funere Magni Regis.

Hic gemit impositũ feretris pallẽtibus auri
Aurum Atlantei lucida pompa Mari.
Hîc gelida emeritis languent in fascibus arma
Arma per Australes quæ caluere sinus.
Hîc perit in proprio tabescens lumine cera;
Cera, Europeæ, quam peperistis, Apes.
Hic pia odorato spirantur flamine Thura,
Sudatis Asiæ Thura petita iugis.
Hoc tantũ exiguo subigũtur plurima fructu
Regna, ut funeribus plura tributa ferant.

In eodem funere.

Alta coronato quæ incũbit machina busto,
Mox erit ipsa Rogus, ipsa Cadaver erit.
Dum pia lugubrem lustrant funalia scenam
Luce sua liquidas cerne perire faces.
Pallida quæ viduũ cingunt simulacra feretri
Ipsa suum repetunt pulverulenta solum.
Consona dũ tacitũ plorant modulamina funus,
Vox perit, & fletu solvitur ipsa suo.
Omnia mors spectat miserè spectantia Mortẽ,
Et tu qui spectas funera iam moreris.

Vita

Vita Actio.

AMphitheatralis rapimur ſpectacula ſcenæ,
Omnes, ah miſeri! Fabula mœſta ſumus.
Actor Homo, Cœlum ſpectator, grãde Theatrũ
Hic orbis, Vita eſt actio, ſcena Dies.
Iam data Regali poſtrema eſt clauſula Vitæ:
Hoc eſt poſtremum plaudite: abire licet.

In ſtatuam Iulii Cæſaris corruptã integro duntaxat nomine.

BIs deluſe peris duplici diſcrimine Cæſar,
Bis tua diverſo Vita ſub Hoſte cadit.
Quã dederat Genetrix Bruti tibi ſuſtulit Ira,
Quam ſculptor dederat Temporis ira terit.
Vivis parte tamen, Cæſar, meliore ſuperſtes:
Perdere iam nomen vis nequit ulla tuum.

FILIVS

Filius Patrem pingit.

VIvificâ extinctũ reſtauras arte Parentem
Pictor, & officiũ reddit amica manus.
Qui ſine te periit, per te Pater ipſe reſurgit,
Et vitam Iuvenis quam dedit æger habet.
Sic Patris Pater es: Nati Natuſq́ creatur
Qui genuit: Patrem Filius ecce parit.

Pictor ſeipſum pinxit.

VEráne forma fugit durat ſi ficta ſuperſtes?
Sorteq́ Nobilior deteriore perit.
Servat adoratam contuſâ forſice telam,
Et tabulæ Actorem tetrica parca ſecat.
Si facit Ars firmos Homines, Natura fugaces,
Ars facere, hæc dici fingere debuerat.

In effigiem S. Brunonis Carthusiensium Patriarchæ.

NOn fucata levi minio te ludit Imago,
Nil fictũ lepida hæc forma, nil artis habet
Adspicit, ac spirat: sed rara Modestia motum
Supprimit, & circum lumina ferre vetat.
Rumperet ore sonos etiam: sed sancta silendi
Regula composito non sinit ore loqui.

Gigantomachia in pariete imbribus obnoxio.

IMpia Phlegræi renovant perjuria Fratres,
Et nova compositis Montibus orsa parant.
Rursum sulphureis impendes, Iupiter, armis,
Nec valet Anguineũ perdere flamma genus.
Pone faces: rident renovatis viribus ignem;
Hæc dirimet gelidis prælia tempus aquis.

In Iudæ effigiem argenteos rejicientis.

PRojicis infames, effusor Prodige, nummos,
Et fugit extentâ nullus, Avare, manu.
Exosum refugit contingere terra metallum,
Flavaq; contiguâ Copia pendet humo. (nu
Siccine vos postquã tetigit fera dextra, profa-
Et pretium, & pondus demeruistis, opes?
Fallor, furacis sunt hæc miracula dextræ:
Dum rejicit nummos, attrahit illa manus.

In effigiem D. Ambrosii Theodosium Templo arcentis.

CErnis ut in vetitos princeps irrũpere postes
Nititur, & fixo vi parat ire pede.
Vana coloratæ non est hæc forma tabellæ;
Spirat; habet nostrâ vivus ab Arte animã.
Quin etiam foribus Victor se immitteret altis,
Ni sancti obstaret præsulis Imperium.

In

In effigiem Assumptæ Virginis non absolutam.

AVrea dum Raptæ conformas Virginis Ora,
Raptus inexpleto munere, Pictor, obis.
Non tibi crudelis, non invida parca labori,
Sed populi votis officiosa fuit.
Nam si, qui tantum deerat, motũ arte dedisses,
Egressa è Tabula vivida Virgo foret.

In S. Vrsulæ statuam cum lictoribus.

VIbrat, nõ vibrat; replicat, nõ replicat ictũ,
Pennigeras lictor datq; negatq; neces.
Proms: quid ambigui cunctaris lucra pericli?
Damnant ignavas pectora prompta moras.
Hæc reor est Pallas Virgo: nam Pectoris albam
Ægida cum peteret duruit illa manus.

In effigiem mendacis.

VIvis adhuc? ſpiras fallendi callida Priſtis?
Et fida infidos recreat aura ſinus?
Méne putas falſæ rapturam in retia linguæ?
Saga tuos novi Parthenopea dolos.
Finge oculos, mentire genas, tu falleris ipſa:
Si poteris rurſum fallere, diſpeream.
Cui loquor? heu vana deceptus Imagine! viva
Quid faciet, quæ vel fallere picta poteſt?

DE ZEVXI.

MEntitã Tabulis Zeuxis formaverat uvã,
Adq; ea deceptas pabula traxit Aves.
Poſt diræ miſer ipſe famis diſpendia paſſus,
Non, niſi quas tabulâ finxit, habebat aves.
Scilicet illuſæ mulctam petiere Volucres:
Supplicium q; avibus quod dedit, ipſe tulit.

In effigiem Christi Patientis malè expressam.

Languentẽ nemo divinum expressit amorẽ:
Hactenus egregiæ desipuere manus.
Egrege te Pictor primum commendo: sapîsti
Veris, crede, modis exanimare Deum.
Namq; illi non forma fuit, non gratia vultus;
Pinxisti informem solus & exanimem.

In malè pictam venationem.

Rara colorato finxit solertia lino,
Et leporẽ, & Lybicũ per juga picta canẽ.
Scilicet hoc mirũ est. Leporẽ nõ cursibus umber
Vrget, & irriso non fugit hoste Lepus.
Hasce feras etenim tenuit discordia formæ,
Quæ velit esse Canis, quæ velit esse Lepus.
Ergo feras si, pictor, amas per inane fugaces
Cernere; subscribas, Hic Canis, ille Lepus.

In effigiem Promethei malè redditam.

Caucasea lacerum sub Rupe Prometheа Pictor
Mancipat, & Rapto vendicat Igne Reum,
Tam miseris tortum exemplis si cerneret ultor,
Quas petiit flammas, Jupiter ipse daret.

Iudas suspensus crepuit medius.

NOn mea me poteris telius haurire nocẽtẽ?
Non Thetis innocuas sæpiùs ulta rates?
Non tumidæ Nubes igni mulctare caduco?
Non terere infidum stella revulsa latus?
Exosa refugit Tellus, Mare, Sidera, tactu:
Inveniet mediam spiritus iste viam.
Dixit, & infami se Proditor *Arbore librat,*
Nec terris, nec Aquis, nève Polo *immoriens:*
Restant contiguis fœdandæ tactibus Auræ,
Ast animæ assuetas impedit Aura vias.
Ergo anima obsessi antico illuctabilis Oris,
Postico solitum lapsa fefellit iter.

FRAN-

FRANCISCVS XAVERIVS ad Indos ſolvit.

NAvis, ſollicitij jucundos Orbis amores
Per vada quæ Zephyro lata ferẽte vehis;
Marmora feſtivo tranquilla celeuſmate rũpe,
Humida terribilis comprime terga ſalĩ.
Hyblæas depaſta roſas tibi flamina dulces
Adſpirant animæ; ſuppara tenſa canunt.
Cedũt Mõſtra Maris, Venatriceſq; Phalãges,
Sarcina ſecuram te pretioſa facit.
Invidet Argoæ puppis tibi lucida prædæ:
Illa vehit ſtellas, tu vehis vna Deum.

Peregrè ſe funiculis adſtrictum cruciat.

ARctata duris membra nectis Vinculis,
Nudoſq; divus implicat nodis toros.
Hoſpes remotam deſtinat viam: Omnia
Vult ferre ſecum, colligat pauper qua habet.

Acerbiſsimis duntaxat Pomis diù alitur.

Faucibus autumnos ægris indulget acerbos,
Tantaleâ Xavier pallidus ora fame.
Cõpar ſuppliciũ, diſpar tibi, Tãtale, cauſa eſt.
Hic veniente cibo, tu fugiente doles.
Tam malajejunũ ſi, Tantale, Mala manerent,
Supplicium majus ſi fruerere foret.

Sacra faciens excedit ſenſibus.

Pronus adoratas rem confecturus ad Aras,
Durior Alpino Xavier it ſilice.
Hunc Puer audaci tardantem vivere dextrâ
Vellicat; immemorem, prærigidúmq; vocat.
Siſte Puer: quem cernis abeſt. Deus advenit hoſpes:
Obvius en vacuam deſerit iſte Domum.

Ver-

Verminoſam bibit.

Deficit illimis Xavier dum navigat Unda:
Deficit in medio quã bibat Vnda mari.
Haurit ſoligenis animatum Vermibus æquor,
Et tumulat vivos viſceribus latices.
Es tibi cauſa mali Xavier. Te vivere cuncta
Præſente incipiunt: ecce animantur Aquæ.

Singulis ſua Idiomata pro cõcione referens Angelus creditur.

Percitus Empyrei Frãciſcus pneumatis æſtu,
Tergeminũ Monadis conciliũ memorat.
Concio Penniger â properat Malabarica mitrâ:
Et brevis intorto vertice Pumilio.
Vncæ Sinus adeſt, & preſſæ Naris Japon:
Durus Taprobanes, mollior æſtat Arabs.
Thrax pullam, faciẽ pictus Canarinus aduſtã,
Et tereti hirſutus cum Patagone Scytha.
Pendulus unam Orbis linguam miratur uterq;
Lingua refert Patrios omnibus una ſonos.
Hoc alii potuere: ſacer cùm diceris Ales,
Plus eſt uno omnes quod facis ore loqui.

In ora Piſcariæ lachrymatur.

CAndida Piſcoſam Baccarũ copia Terrã
Fecerat, è gelidis copia dives Aquis.
Traiicit Heſperias temeraria turba columnas
Roſcida quo lacero pignora lintre legat. (te.
Linquite aquas Xavier quo luget pergite nau-
Quod medio petitis gurgite, littus habet.

Nutibus Indos erudit.

SI loqueris quocunq; libet fera pectora pellis,
Atq; aures Populi vivida verba vident.
Si vibras, Franciſce, manus, tua dextera fatur,
Atq; oculis audit ruſtica Turba manum.
Quis credat? manꝰ eloquitur, prõptiſſima geſtis
Lingua, vident aures, audit iners oculus.
Non ſunt hæc Hominum Miracula: Numinis inſtar
Eſt quiſquis mutat ſenſibus officium.

Negat

Negatâ Navi Pedibus Mare decurrere aggreditur.

Erige pugnaces ſcopulos; mare mõtibus abde;
Invia Xaverio non erit ulla Via.
Tolle Rates, erit ipſe Ratis: Terram Æquore ſterne,
Æquora calcabit dura, natabit Agros.
Quid nõ poſſit amor? legem dedit omnibus; Idẽ
Legem qui potuit condere, ſolvet Amor.

Vno tempore duabus inſiſtit Navibus.

VNa duas caco Navis rotat Orbe procella,
Vnaq; fit geminis Navibus urna Mare.
Vnus adeſſe cupit gemina Franciſcus in alno:
Velle habuit pretium; qua cupit eſſe, fuit.
Et fugit, & remanet: puppiſe partit utriq;
Fit duo, nec duo ſunt: diſtat, & unus adeſt.
Miraris? quid tam facile eſt quã pluribus unũ
Stare locis, geminus quo minor Orbis erat.

Sacco

Sacco indutus Aulicis miſcetur.

Preſſerat Heſperias armata ſuperbia terras;
Arx Aula infelix Ambitionis erat.
Lumina quicquid amãt, poſtes, laquearia, mẽſa
Omnia pro telis explicat Ambitio.
Arcus erat Diadema, arcus fœdata cruentus
Purpura; & hæc oculis cernere vulnus erat.
Xavier at lacerâ velatus membra lacernâ,
Loricam dixit, ſi potes, hanc penetra.
Quæ nulla poterant arces perfringere tela,
Tela hæc Xaverii frangere fracta poteſt.

Indiis peragratis emoritur.

Magnꝰ, ut exiles Macedo pervenit ad Indos
Sanguine jam lachrymas deficiente dedit.
Ex aliis alios ſuſpirans Orbibus Orbes,
Virtuti metas mœruit eſſe breves.
Xaverio invideat Macedo. Poſt Indica Regna
Cæleſtes Orbes invenit, & ſuperat.

De

De sera Infidelium conversione expostulatio.

I.

REs est Relligio nota
Aut ignota magis?
Numen Relligio patens
Quas non conspicuis verberat ignibus
Terras? quod Æquor belluosi
Tranare Bosphori pavet?
Hospes in hospitis
Lucida lucis;
Constans trepida
Ludere in unda;
Ingredi cæcos animosa Calles:
Solis utrãq; Domũ liquidis fulgoribus implet.
Obliqua si quam deserit plagam dies,
Hæc tetricas radiat per umbras.

II.

NVmen Relligio Vastum
Pandit ubiq; Deum.
Doctor consileat licet,
Novit Nauta fero prensus in Icaro
Cælo supinas ferre palmas.
Cæsurus agrestes opes,
Tornat solidum
Si Notus imbrem,
Properat Divos
Mulcere sator.
Hosticas Victor minuat Phalanges,
Tardet Aprũ Marsæ venator arũdine prædæ:
Ille grave sacro ferculum appendit Tholo,
Horrificos dicat iste rictus.

Aurora

III.

Aurorae croceos Currus,
Aurea frena vide.
Audi turbine consono
Intercalatam sideribus Spheram:
Longóque non fessum rotatu
Astrûm videto Praesidem:
Condam lucis
Promamq́ bona:
Aliam semper
Semper eandem
Progredi cernas minuiq́ Phœben.
Sylvarum, Pelagiq́ Pecus, pictaq́ volucres,
Varioq́ florum cerne ridentum Choros,
Cuncta Deum sine voce clamant.

Securis

IV.

Securis trabibus fixum
Advena Hyrundo larem
Quo doctore linit? Deo.
Quis mœstam Cytherâ pangere plumeâ
Carmen sub umbra luctuosum
Prognem Choragus erudit?
Quo dictante
Gens florigera
Stipat cereis
Nectara thecis?
Quo celer netis Opifex medullis
Argutos Culici laqueos prætexit Arachnes?
Aut quo penum Formica parcit frigori?
Tam minimis Deus est Magister.

V.

Cur vel ſolivagis Culpam
Horret Virgo locis?
Teſtem Virgo timet Deum.
Umbras crudus adhuc quid puer aviæ
Motúmq; Virgultum tremeſcit?
Numen puer ſentit latens.
Cur algentes
Tangere vitat
Cari cineres
Nupta mariti?
Quidpiam ſentit ſupereſſe Morti.
Nocturnæ Lemurum facies, & præſcia veri
Somnia, Poëtis Entheum Pectus ſacris;
Eſſe Deum, ſuperóſq; clamant.

Olim

VI.

OLim ſanctum Animal, vivax,
Humanumq; ſuo
Sculpſit de Ingenio Faber.
Libratis teretem partibus indidit
Statúque & inceſſu figuram.
Huic Dædalas finxit manus,
Linguam prapetem,
Ac ſideribus
Nata tuendis
Sidera fronti.
De ſuis tandem radiis favillam
Excuſſit, claraq; dedit ſanctum Icona menti.
Ac ni Cupido noſtra nos cæcos facit,
Artificem è ſpeculo videmus.

VII.

AT si multigenos cultus
Mistaq́; sacra vides,
Res est Religio abdita.
Hic truncam salicem stare Deum jubet,
Edace quem finxit dolabrâ,
Blattis futuram mox dapem.
Hic colit undæ
Lene Caput sacræ:
Sarculo amicas
Colit hic fruges:
Et suum hic mandit, bibit ille Numen.
Quondam etiam Numen pavidâ sterit Hinnulus arâ;
Bipartiendum Capreæ ac Viro decus:
Illa Deos parit, hic precatur.

Quanto

VIII.

Quantæ Vatibus heu nugæ!
Thura quid alba crepent
Sacris imposita ignibus:
Quo fulgur sonitu Nubila dirimat:
An dextrum, an obliquum lacessat
Oscen volatu Dædalum,
Servat Aruspex:
Fataq; Principum
Volucrum pennis
Fatuus alligat.
Consulit mutas alius Bidentes,
Viva cruentatâ scrutatus viscera dextrâ.
Quid plura? sanguine Rhodus humano lita,
Et similem sibi Mysta cædit.

IX.

Caligo ſed enim major
Quos arcana juvat
Scitari Superûm, implicat:
Hi vera è Cathedris dogmata ventilant,
Verúmq; perdunt ventilando.
Raptatur hàc illàc Deus.
Scommata ludit
Alter in alterum:
Et ridetur
Alter ab altero.
Veritas falſis petitur duellis.
Jam calamus gladio mutatur, pagina peltis;
Sanguis rebellat ſanguini. Scandit furor
Per ſcelera ad Pietatis arces.

X.

O Lucis Faber alterna,
Et lux certa animis,
Tandem nubila disjice.
Te nosci Dominum si nihil interest,
Quo Templa, & Aras tot moramur?
Te nostra si tangunt sacra,
Quid consortem
Pateris Orcum?
Aut quæ Saganis
Tanta potestas
Vt tuas dirus ruat ignis Ædes?
Interea impunes Phlegethon cõtaminet Aras
Audis, micabit luce Religiosâ,
Et dubius requiescet Orbis.

In Patriam reducis Votum.

Quam dulce laſſis, Iſthmia Navitis
Preſſiſſe conto litora, cum Notus
Fervore dediſcit ſupino
Caruleis equitare campis.
Quàm dulce collo nectere patrio
Dextram ferocem, quæ prius aſpero
Stridens metallo, fulguranti
Horrendum tonuit Sariſſâ.
Nil eſt Paterno ſole beatius,
Certiſq, noti finibus oppidi,
Seu juvit errantes Volucres,
Seu genus undivagum tueri.
Olim Paternis indita fontibus
Arcana vis eſt, quæ latet Advenam,
Ad nota dulcis labra ſerpit,
Et Patriam monet eſſe lympham.
Iqua Regali ſol perit Æquore.
Iqua recenti ſe reficit ſatu:
Scrutare Getulos receſſus:
Non Patria fugies Amorem.

Merge

Merge hunc ſub undis, transfuga, Caſſiis,
Emerget ardens. Ad tua litora
Mentem reſorbebit fugacem,
Et tacitos feret ore morſus.
Sprevit placentes Ogygiæ minas,
Sprevit decoras Alcinoi fores,
Et calibem nunquam racemum
Præſcopulis Ithacus paternis.
Tauro implicatus litora Patriæ
Nativa duræ quo repetat Scytha,
Querceta Gargani dolebit,
Et tepidas habitare Baias.
Ille ô beatus, cui vice conſulis
Prognes Paternam dum relinit trabem
Diſtinguit annos, atq; avito
Herculeum Mare finit agro.
Et qui coævæ dum videt Arboris
Pendere crines, ſe meminit ſenem.
Campiſq; lentis, atq; adulto
Se nemori videt eſſe Patrem.
Felix volantem cui proprii datur
Metare vitam limite prædii.
Miſcere cui prodeſt ſepulchra,
Et cineri cineres paterno.
Felix Parenti qui ſibi creditum
Multo reſignat fœnore pulverem:
Quem terra poſtquam fruge pavit,
Cuna eadem fuit, & ſepulcrum.

In

In pluvios Annos. Dira.

At quis Nigrantũ Verna, plus nimio potẽs,
Spirabilis compendium ingressus viæ,
Mundi ruinis Tartari ingluviem beat?
Vel quæ sepulchris altilis Venifica
Torto sabellum concrepans carmen labro
Caduca Cœlo sidera orbato rapit?
Et hunc sereno Turbinem vultu vides,
Vltor Mulierum Iupiter? num te ligat
Enode Pellex brachio? aut udus gravem
Stertis cicutam? sortis aut primæ incapax,
Dum seminale cuncta confundit Chaos,
Exosa pessum arbitria, & sceptrum jacis?
Nullúsne causæ cognitor? nullus Forum
Mundi clientis Rabula, vel Rhetor terit?
Quid tu Pupilli tarde Curator Iovis
Falcate Senio? quid satellitio frequens
Apparitor Majugena? quid, Acinace
Gradive, inermem siderum terres Gregem?
Et lucis ille Circitor, mens Ætheris,
Dynasta Phœbus: ille tum Pedaneus
Tum consularis Ordo Stellarum, potens
Mundum rotatis regere pupillis tacet?
Vides ut alto pensilis Aquater loco
Ambas supinat frigidus capedines,

Vlnîſq́ nitens ſtiriam preſſo negat
Hærere fundo? Cernis ut ſpurius, iners,
Semigenitus, projectus, inceſtam putrì
Glebam renidens muniteps Cœli novus,
Ceu civis, atq́ Indigena ſtellatâ Domus,
Geniale nivibus conſpuit Orion ſolum,
Supérq; cilio ductat humanas vices?
Hinc qua polari dote venalem Iovi
Dedi Pudorem, Bajulum cœli Patrem
Ingrata proles vexat, & liquidam necem
Infundit ulnis. Hinc gemella Numina
Recens probroſe cortice exutas manus
Edita ruendis ratibus, Oceanitidûm
Inefficaces irritant riſu preces.
Valete liquidis fertiles quondam plagæ
Merſæ ſepulchris: montium limbus plagæ.
Nuſquam nivoſa dente vos ultra levi
Tondebit Agna: vomere aut acri, pius
Promota fundo germina in palam trahet,
Sulcíſve edaces Cultor inhibebit vepres.
Squammoſa flexo Monſtra per ſulcos grada
Errare Paſtor Cernet, ac veſtris penum
Piſcator uncâ queret in glebis acu:
Tritáſque aratro trabibus urgebit vias.
Ite, Ite quondam Nobile Hortorum decus
Animæ virentes. Flammeum merges caput
Superba Cnicus: Phœbus illæſam fugit
Caltham ſequacem: tuque Paeonis potens

Arce

Arcere virus fonte, non ab te potes
Arcere Fontem, teq; ſubmerget tua,
Narciſſe, Lympha: Lympha quæ vitam dabat,
Succóq; teneros vivido implevit toros.
Et vos valete, Vota Virginibus Cohors,
Flores adulti, floſculiq; puberes.
Valete florum Candidati Lilia,
Stolatus ordo Nivibus: ah quale Nivium
Per aſtra vobis invida ſepulcrum venit.
Terræ Cadaver languida rependet roſa,
Collum Hyacinthus ponet, algebit Crocus.
Sativa triſtis ſidera occaſus bibet.
Quid hoc ruinæ? Quaſſa dum queſtus tero
Strideſcit Æthra: num gravida nubes cavo
Immugientes viſcere Leones parit?
Vertigo Cœli nutat? an laſſum Gigas
Stellare fractus exigit onere latus;
Nunquid bibaces nimiâ perpeſſæ vadâ
Valles anhelant? tota vel Mundi ſenis
Anima laborat? Proh Deûm atq; Hominũ fidẽ;
En quanta ſulco rima ſerpenti ſcidit
Nubem dolentem diſtrahi; an tantas valet
Incendiarum parere flammas gelu?
Animam calentem frigido ejectat ſinu
Irata nubes: moxq; pertæſa impium
Scelus, flagranti liquida ſe impendit ſolo.
Nimium nocenti mœſta pœnitentia
Flammis præuſtũ lachrymis Mundum obruit.

Fatisce Cœlum. Vertice emoto rue,
Confunde Terris Astra, nec summo Inferum
Lunaris orbi fibula hunc mundum liget.
Iam Sole vulso Cæcus ingemitet Cyclops
Et Regna in unum terna Neptunus legat.
Argoa rursum syrtibus stridat ratis:
Per nostra Delphin Maria stellatus abeat;
Tandem veneno tabidos artus liqua;
Et rupta molli latera syntexi fluant;
Orbis ruinas Vertice infracto feram.

Ad Nobilissimum Præsulem ex gentilitio stemmate Vaticinium.

Quis te virorum, quisve Deûm, Lyra,
Iam dedicatam provocat impetus?
Qua fœta Delos, quisve Pindus
Per tumidum mihi pectus errat.
Favete linguis: hîc Genium loci
Astare certum est. Huc Puer insulam, &
Indos vapores, cumq; Vesta
Assyriam properato lenam.

Bis bina torto jam lituo Polum
In Templa findo. Iam decumus notat
Poſtica, & *antica trames,*
Quem biſido ſecat axe limes.
Spectatis? an me de ſolido furor
Mentis repellit? Stella ſororibus
Curvum ſepultis invidendo
Zodiacum ferit Alba cirro.
Heros litaſti. Te Proavus *ſuo*
Phœbus *nitori ſufficit* Heſperum.
Phœbum *repones, cum* Pyrope
Canicies triplici calebit.
O quantus olim Threicio cruor
Inſtat Tyranno. Tum Tyrium Mare
Bis purpuraſcet: ſtella peſſum
Barbaricam ruet iſtà Lunam.
At quale Monſtrum? Primus *inutiles*
Surgit per iras Herculeus labor,
Tergum flagellans: Num prauſto
Axiferum bibit ore Sidus.
Odiſſe bruto fulmine longiùs
Levos Leones Augur agens ſolet.
Tunc Hoſte Matres, tunc inultas
A Borea negat ire ſylvas.
Fallor. Quirini quatenus Imperî
Natale ſidus fertur hic Aureus
Qui Victor Autumnum micante
Incolumem Leo verſat ungui.

Dediſce fletum, Roma: quid utiles
Circa ruinas fœmineum latras?
Non vana Phœnix Fabuloſi
Suppliciis recreanda buſti.
Hic, cui Cleones ſe fera temperat,
Pomúmque diſcors aſſerit: Artibus
(Pacémque, terrorémque miſcens)
Romuleis Populum beabit.
Sed quanta textis Machina Montibus
Offendit auras? num genus Anguipes
Stridente Centauris Olympo
Pelion inſtituunt, & Oſſam?
Heheu ruinæ materiam ſtruis.
Permitte Divis ſidera. Quid Jovis
Ignem lacteſſis jam quietum
O propriâ tumulande Matre?
Agnoſco. Diris Augurium vacat.
Ni fata peccent, jam Capitolio
Te Roma fundato ſuperbis
Verticibus ſuper Aſtra tollet.
Quo te inſolentem proripies, Lyra?
Iam parva magnis pone modum modis.
Hæc alta Minci plectra poſcunt:
Parthenopen melius ſonabis.

INFVLATAE VIRTVTES IN ORIENTALIS ECCLESIÆ PATRIBVS EXPRESSÆ.

Constantia Infulata.

ATHANASIVS ALEXANDRINVS.

Athanasii virtus senilis in Puero,
Puerile nihil unquam habuit, præter ætatem.
Antonii magni Discipulus,
Sub Chirone altero Christianus Achilles,
Nescias an plura didicerit an docuerit.
Veritatis amantior, quàm quietis,
Vt reduceret exulem remeavit in Patriam.
Æquè infensus Ario, ac Arius Christo,
In omnibus ab eodem dissentiens, in hoc uno cõsentiens
Quod uterque Athanasium nollet Episcopum.
Vtroq; tamen invito coactus ad insulas,
Omnium Amorem promeritus,
Quia satis amari non poterat incurrit in odia.
Ab hospitibus delatus ad hostes.
Nunquã nõ agnitus innocẽs, sæpe damnatus, ut nocẽs;
* Sedem maluit mutare, quàm syllabam.
Principum iras ideò non metuens quia ferre poterat.
Constantino non placuit, quia minùs notus,
Constantio, Iuliano, Valenti, quia non ignotus,
In hoc etiam cum veritate conveniens,
quod Regibus displiceret. (frangeret;
Sed hostes suos ideo in Athanasium Deus allisit, ut
Revocatus ab exilio, ut iterum pelleretur,
Æquè triumphans cum cederet, ac cum rediret;
Herculi suppar, nõ unũ laborib. suis fatigavit Euristeũ.

Sæpè

Sæpe quæsitus ad necem, semper ad duriora servatus,
Bonorum vota præferens suis,
Invisum invidis lumen, ne extingueretur abscondit.
Arenti diu clausus in puteo,
Eum impleverat lacrymis, niti defecâsset ardoribus.
*Malens cum mortuis, quàm cum perditis vivere,
Ejus in tumulo vitâ depositi suâ, à quo vitâ acceperat
Sciens nullum tutius cõmissa servare, quàm qui dedit,
Hoste deficiente quẽ vinceret revocatus è pugna,
Suis quietem peperisse contentus, perfrui noluit,
Tunc primùm mori cupiens,
Cum vitam potuisset amare.
Homine major,
Qui se in hoc uno probavit hominem
Quod pati posset.

*CVm vellent Ariani, filium Dei esse similis cum Patre substantiæ, non ejusdẽ, contenderentque idcircò non ὁμοούσιον sed ὁμοιούσιον esse dicendum, Athanasius Divinitatis Verbi propugnator acerrimus, sedẽ maluit mutare quã vocẽ; maluit enim in exilium abire, quàm Dei filium cum Arianis ὁμοιούσιον tantùm dicere.
Vide Baron. tom. 3.

*Sub Valente quæsitus ad necem, per quatuor menses in Patris sepulchro delituit, sub Constantio verò in arenti puteo per sex annos inimicorum rabiem mundo ignotus elusit. Tandem ingenti cum omnium plausu suis redditus, cum jam felix posse vivere videretur, excessit è vivis.
Vide Baron. Tom. 3.

ATHANASIO

Inter Ærumnas infracto.

HEu fuge depresso contermina Regna Barathro,
Heu fuge divitiis Regna timenda tuis.
Cœlituum tibi causa nocet, tibi conglobat hostes;
Eia age defenso liber ab orbe fuge.
Astra adeas, securus eris. Te Mundus Olympo
Devovet, & Civem denegat esse suum.

ATHANASII

Epitaphium.

HIc jacet ille locis fugitivus ab omnibus exul,
Cujus in exiliis exulat alma fides.
Cui tutos vix urna lares dedit æde sub ima,
Quo nihil inveniet firmius ulla dies.
Hunc pepulere Duces, hunc vexavere Tyranni,
Mitior huic nullus, credite, morte fuit,

TOLE

Tolerantia Infulata.

IOANNES CHRYSOSTOM.

Ioannes Eloquentiâ Aureus, Tolerantiâ ferreus;
Preciosior fortasse quòd ferreus, quàm quòd Aureus.
Nescias ubi cæperit esse Sanctus, aut quando desierit,
Bonas artes cùm disceret docuit meliores,
Iam inde magnus, unde esse vix cœperat.
Sylvescere metuens, secessit in Sylvas,
Exuturus inter feras,
Si quid ferinum induerat inter homines.
Alienis clarus in oculis, obscurus in suis,
Vrbes dum fugeret, Vrbes in Eremum attraxit:
In hoc uno cũ virtute rixatus, quòd latebras impediret.
Se uno dolente revocatus in Patriam.
Non minus in dicendo quam in agendo disertus
Nescias an plures virtuti dederit, an reddiderit.
Se felicẽ nõ reputãs, nisi cũ miserorũ causas assumeret:
Facundum, nisi cùm vinceret,
Nullius autem appetens omnium animos acquisivit.
Collatas à Bizantiis Infulas,
Ideo accipiens, quia recusare non poterat.
Vilior esse studuit, quàm videri;
Sibi uni durus, quo melior esset in cæteros.
Salutis omnium memor, quia non immemor suæ,
Securitatem, quam daret aliis, rapuit sibi.
Sed mirum erat, si tanta virtus invidis caruisset,
Qui perditos, nec tolerare poterat, nec corrigere,
Quia eorum non incurrit in mores, incurrit in odia,
Ideò hostis habitus, quia dissimilis.

Semel

Semel, atque iterum à barbaris pulsus ad barbaros.
Quod tantum hominem Vrbs una non caperet:
Plura ferre cupiens, quàm hostis inferre.
Veram Patriam,
Cùm in exilium properaret, invenit.
Vir in omnibus aureus,
* Nisi quod avaris placere non potuit.

* EVdoxia enim Augusta Avarissima fœmina, aliique non pauci id genus homines, cùm in avaros declamantem eloquentissimum hominem diutiùs ferre non possent, & eo superstite, miseros opprimere non sperarent, eum in Armeniam abigi curarunt. In itinere tamen cùm exilium quæreret, veram invenit patriam. Vide Baron. tom. 5.

CHRYSOSTOMO

Aureo homini

Avaritiæ infensa.

AVreus es, cæcóque tamen malè notus Avaro,
Totus es ex auro, te tamen ille fugit;
Ille fugit, diráque procul condemnat in oras,
Ille tuas cupiat mergere posse faces.
Miser Avaritiem, latebras nisi quæreret auro;
Eripit illa alis, eripit illa sibi.

CHRY-

CHRYSOSTOMVS

In Exilio Barbaris carus.

PVlsus ab ingratis dum barbara Mœnia linquis
Plebs gemit, & ferro te retinere parat.
Exul & Armeniæ dum litora sæva teneres,
Civibus ignotis notus amicus eras.
Quid mirum variis carus si mentibus esses?
Aurum, quod cœcus spreverit, alter amat.

Religio Infulata.

GREGORIVS THAVMATVRGVS.

Gregorius Octavum in orbe miraculum,
Omnia in se uno miracula copulavit,
Sub frigido cœlo natus, ut illud ipsum incenderet,
Origene Præceptore dignus Auditor,
Eum æquavit ingenio, meritis vicit.
* Accusatus ab invidis se prodigio, non voce defendit,
Magis mirandus quod ulcisci nollet, quã quod posset.
Ex Ægypto regressus in Patriam,
Peculiarem domum habere nolens, ut omnes haberet,
Cum nihil amaret in mundo possedit omnia.

Ita imperans sibi, ut imperare mereretur, & Dæmoni.
Vt nutantē firmaret, scopulos perinane circūagens,
Difficilius moveri sæpe mentes, quàm mōtes experta.
Quicquid optare potuerat, visus est impetrāsse,
Commune factus oraculum, oraculis vocem ademit;
Solus dignus audiri,
Qui æquè prodigia loqueretur, ac faceret,
Quid posset in mundo Gregorius,
Ideo mundus credidit, qua vidit.
Multa tamen cùm fecerit admiranda,
Nihil seipso mirabilius facere potuit;
Monstrum omnium maximum,
Vt in tanta Divinitate tanta copularetur humanitas.
Omnes cū vellet optimos, se voluit omnibus meliorē.
Ita sibi vacans, ac si cæteros neglexisset,
Ita aliis, ac si se ipse negligeret,
Suorum virtute jam notus, notior suâ,
Cùm vix sanctiùs vivere posset, diutiùs vivere noluit.
Nunquam mortalis creditus, nisi cùm visus est mori.

* SE prodigio, &c. Muliercula perditorum promissis illecta, disceptantem in Academia Gregorium interpellans, pretium postulat divenditæ pudicitiæ. Cedere iubet castissimus Iuvenis, & à servo pecuniam quam poscebat exigere. Quâ tamen acceptâ, cùm misere torqueretur à Dæmone, Gregorii precibus Deo reddita, erepta Dæmoni, quem anteà accusaverat laudare cœpit. Niffenus in eius vita.

THAV-

THAVMATVRGVS

Arboris ſpeciem induens ſatellites decipit.

LVdis ab irato lectam Prætore cohortem,
Nempe ubi te vidit nuncius, Arbor eras.
Arbor eras potuitque tuos decerpere fructus
Miles, & illuſi ludere iuſſa ducis.
Proteus es; ne finge novas tamen uſque figuras,
Nil te nobilius fingere, crede, potes.

Deo templa erigens Thaumaturgus Montes movet.

IVpiter, Ætneâ num ſint ſub Rupe Gigantes,
Perſpice, num ſobolem laxa relaxet humus.
Saxa volant, ſaxis Gregorius indidit alas,
Sidereas quatiunt iam inga iacta fores.
Non tamen ille Gigas, maior tamen ille Gigante,
Quæ non ulla movet dextera, voce movet.

Vigi-

Vigilantia Insulata.

BASILIVS MAGNVS.

Basilius magnus
Eruditorum optimus, & optimorum eruditissimus,
Cum fuerit in nullo non maximus,
Dubites, in quo maior esse potuerit.
Sanctissimorum Parentum Sanctissimus filius,
In se perficiens, quod cœptum erat in suis,
Maiorum probitatem, maiorem esse potuisse probavit,
Nequitiam execratus, ante quam nosset,
Virtuti suæ collactaneus, & Cœvus.
Nescias an eam ex institutione traxerit, an ex utero.
Disciplinas aptus ad omnes, propensus ad singulas.
Humaniores artes in se divinas effecit,
Divinas verò Humanioribus perfici posse monstravit.
Nazianzeno carissimus, quia simillimus,
Seipsum in se despiciens, in Amico suspexit.
Virtutes ita colens singulas,
Ac si non appeteret universas.
Extra Patriam diu, extra se nunquam,
* Præceptores suos melioribus imbuit artibus,
Quàm fuerat ab ipsis imbutus.
Magis assentantium laudes,
Quàm Invidorum calumnias fugiens,
Extra omniũ oculos, ita se omniũ oculis dignũ effecit
Vt nõ deterius monachi normã expresserit, ac Episcopi,

Virtutem

Virtutem non ideo adimens sibi, quod daret aliis;
Seipsum perficiendo, perfecit & cæteros.
Ad suadendum idoneus,
Qui, quæ diceret, suis probare posset exemplis.
Divitias negligens, nisi quas erogaret in pauperes,
Omnium se patrem fecit, & servum.
*Pluris æstimans veritatem, quàm Principum gratiã,
Illius dignitatem defendit acrius, quàm alii suam.
Quo propiùs ad metam accesserat,
Eò alacrius cursum intendens,
Vigilijs suis sopitos excitãs, Ieiuniis famelicos pascens,
Cum nec amaret vivere, nec timeret obire,
Hominum effugit ex oculis, non effugit ex animis.
Felix, cuius in vita nihil arguere valeas,
Nihil in doctrina damnare.

* EVbuldm enim sophistã præceptorẽ suũ ab Idololatriæ nocte ad Christi lucem vocavit. Idipsum etiã Libanio persuadere curavit, irrito tamen conatu, * Iuliani, & Valentis nequissimorum Cæsarum non minus blanditias quàm tormenta contempsit, indignum reputans maiorem alienæ dignitatis, quàm suæ fidei rationem habere. Bar. Tom. 4.

BASI-

BASILII VIGILANTIA

Iuliano Cæsari minus grata.

SI perit Alma Fides sit te revocante superstes.
Si ruit, illa tuâ stet bene fulta basi.
Si gemit, exhilaras; si langueat, erigis ultrò;
Vnus enim fidei sufficis, una tibi.
Te sine ne pereat, facies scribendo perennem,
Æterna in tabulis sic erit illa tuis.
Te timet hinc Cæsar. Cur nõ amet ille? Quid hoc est?
Tam vigil es Pastor, quàm vafer ille Lupus.

BASILII VIGILANTIA

Pauperibus salutaris.

VEllicat ora fames, tacitis se morsibus urget,
Iam legitur multa in fronte suprema dies.
Quid facies? Quò vela dabis? Tibi curta supellex,
Et te cum cupias vendere, nullus emit.
Prodigus extiteras, iam te propè fingis Avarum,
Nam cuperes pretium crescere posse tuum.
Fallor, vita tibi ni tam pretiosa fuisset,
Vilius ut posses vendere, posset emi.

GRE-

GREGORIVS NAZIANZENVS.

Lenitas Infulata.

Gregorium Nazianzenum
Parentum Pietas mundo promeruit,
Dei Beneficentia dedit.
Ita natus eſt ut degenerare ſi vellet, malus eſſe nõ poſſet:
Ita vixit, ut imitari qui vellet, peccare nequiret.
Inter optimos educatus ad optima,
Se peſſimum reputans, niſi faceret meliorem.
Adultam virtutem antequam polliceretur exhibuit;
Bonarum artium avidus, malarum incapax,
Vt Minervam raperet Athenas profectus,
Ita eam coluit, ut mereretur habere;
Ita habuit, ut à nullo dedignaretur accipere.
Baſilio magno ſtudiis, & animo Suppar,
Iulianum odit, etiam cum videretur amandus;
Ita de moribus iudicans alienis
Vt non officeret ſuis.
Nullius tenuens eſſe diſcipulus,
Omnium ingenia collegit in ſuo:
Docere nunquam deſinens, ſeu diceret, ſeu audiret.
Æquè benè dicendi, ac benè vivendi arte cõſpicuus,
Quò ſe melius noſceret cupiens ignorari,
Quam non amiſerat innocentiam
In Eremo quæſivit.
Vocante tamen Patre, cogentibus meritis tractus ad
infulas, Neſcias

Neſcias an laudabiliùs oblata reiecerit, an acceperit.
Alienis facundus in laudibus, mutus in ſuis,
Plura in ſe continens, quàm laudaret in cæteris,
Quos eleganter verbis expreſſerat, expreſſit & factis.
*Nequitiâ in plebe corrigés, in Principe nõ diſſimulit.
Omnia cum ſciret, fingere neſcius,
Se ad omnium normam effingens Poëtam egit.
Non ideò minus utilis,
Quod magis videretur amœnus.
Prodeſſe cum vellet omnibus, nulli præeſſe, quàm ſibi,
Vrbes deſerere malens, quã invidorũ turbis implere.
Cũ iã ſui unius vellet eſſe colonus, ſeceſſit in campos.
Inde etiam, & formidatus ab impiis, & fugatus,
Debitam meritis ſedem
Cum non haberet in terris, invenit in cœlo.
Æquè expetitus cum eſſe deſineret,
Ac fuerat antequam eſſet.

* IVlianum enim humanioribus artibus adhuc Athenis intentum, cum perditiſſimã mẽtem ementitæ pietatis regeret vultu, iã inde Nazianzenus agnoſcens execratus eſt. Vt patet ex orat. in Iulianum.

* Alludimus ad orationes eiuſdẽ habitas in Iulianum, quibus iniquiſſimi Principis nequitiam exagitavit.

Lege cautum fuerat à Iuliano, ne Chriſtiani ullo librorum genere uti poſſent; Cuius rei gratia ſcripſit Nazianzenus Poëmata, Tragœdias, & alia ejuſmodi quorum lectione bonis artibus adoleſcentia imbui poſſet, vide Baron. Tom. 4.

NAZIAN-

NAZIANZENI LENITAS

Perdito Iuveni ſalutaris.

FVlgurat iratus Iuvenis, tonat ore minaci,
Iamque tuum ſtricto fulminat enſe caput.
Ipſe tui ſecurus adhuc, non brachia Cœlo
Dirigis; aut promptam poſcis inermis opem.
Intrepidum timet ille animum, trepidúſque furorem
Exuit, & mores induit ecce tuos.
Vtile utrique nefas, vitam ſervavit utríque,
Ille tuam petiit, ſed tulit inde ſuam.

NAZIANZENI LENITAS

Suæ ſedis invaſori Benefica.

FAre, quid hoſtilem meritis tibi iungis amicum?
Mitis ut agna Lupos, in tua damna foves.
Quas paret inſidias, quâ miſceat arte venenum
Perſpice, quàm vario veſtiat ore dolos.
Sed video mala quæque hominum tolerantia curas,
Quæ tolerare potes, tollere damna potes.

Sa-

Sapientia Infulata.

DIONYSIVS AREOPAGITA.

Dionyſius, ex Areopagi Iudicibus
Selectus pro veritatis cauſa Patronus,
Neſcias an æquiùs gloriari potuerit
Paulo præceptore Diſcipulus,
An tali, tantóque diſcipulo Præceptor.
* Æquè Aſtris intentus ac ſibi,
Virtutem, quam poſtremis in annis exhibuit,
Promiſit in primis.
Athenarum factus Antiſtes,
Malas inde artes ejiciens, meliores induxit.
Optimi cuiuſque æmulator egregius, & laudator,
Cùm vellet à nullo dignoſci nullum ſtuduit ignorare.
Româ profectus, nobiliorem reliquit, quàm invenerat.
Cum titulis ſuis iam poſſet addere,
Quòd tantum hoſpitem excepiſſet.
Inde profectus in Gallias,
Immenſam urbem, urbe maior implevit.
Ita in divina delatus, ut ablatus crederetur humanis,
Mercedem nullam appetens, nullâ non dignus,
Devota cœlo victima Sacerdotum gladiis exhibetur.
Et feris obiectus, & flammis,
Se utriſque fortiorem oſtendit.
Variis tentatus ſupplicijs,
Cùm nullum mereretur, nullum exhorruit.

Tandem

Tandem fremente Tyranno, plaudente cœlo,
Elatus in montem, ne tantæ lateremi faces,
Cervice, non animo diminutus, edocuit
Virtuti vitam non eripi, nisi velit amittere.
Divinissimum caput in terram deprimi noscens,
Cum iam in collo non esset, esse cœpit in manibus;
Perire nesciens, quod tam bene vivere didicisset.

Beata Gallia
Quæ Præceptorem habere meruerit,
Qui Divina æquè docere potuerit, ac patrare.

QVo tempore accidit Ecclipsis in Christi morte, cùm esset Dionysius Heliopoli una cùm Apollophane studiorum Collega, ait novitate permotus exclamavit, Aut Deus naturæ patitur, aut Mundi machina dissolvitur. Vide Bar. Tom. primo.

DIONYSIVS

Adhuc in reciso vertice vivax.

QVãta tua, Proh quãta tuis mens indita membris?
Illa vel exciso in vertice regnat adhuc.
An tua vita tuis tota in Cervicibus hæsit,
Nec nisi in Augusto vertice totus eras?
Fallor. adest animo nondum per vulnera suppar
Exitus, est tanto vulnere maior adhuc.

DIONYSIVS

Cœli Arcana cognoscit.

Quis te sidereas docuit dignoscere voces?
An novus offenso lapsus ab Axe Gigas?
Si perit æterno soboles æquæva Parenti,
Astra tibi tantum non soluere nefas.
Suspicor Astra tuos venari his artibus ignes,
Non nisi cognatum sidera sidus amans.

Innocentia infulata.

BLASIVS SEBASTEN.

Blasium nemo vidit in terris,
Quin eruditum putarit in cœlo.
Virtutem cum lacte imbibēs, cum ætate corroborans,
Fecit incertum,
An in eo differret à virtute natura,
Episcopum agens, antequàm fieret,
Qualis esset futurus, edocuit antequam esset.
Ex Vrbe, quam sibi similem fecerat,
Digressus in sylvas,
Vt ampliaret animum, arctatus in specu,
Divinitate suâ feras effecit humanas.

Felix

Felix, si quam à feris expulerat feritatem
Germinatam in hominibus non vidisset.
* A venatoribus interceptus, dum cœlestia venaretur,
Vocatus ad supplicia, eâ securitate perrexit,
Vt illa se in sylvis non effugisse, sed expectasse doceret.
In aquis, non secus ac in marmore ambulans,
Cum vitam suam prodigiis tueri posset,
Maiori prodigio tradidit quàm antè servâsset.

CVm enim Sanctiss. cujusq; Episcopi munia exerceret privatus, à Sebastensibus in Episcopum electus est. Cum in Argeo monte viveret, confluebant ad eum diebus singulis ferociores feræ quæ de Dei laudibus perorantem audirent, nec antè discederent, quàm ipse dimitteret. * Cum igitur venatores Agricolæ jussu feras quærerent in sylvis, ut eas Christianorum carnibus pascerent in circo, cum in Blasii specu earum multitudinem invenissent, Blasium unà cum illis in urbem deduxerunt.

BLASIVS

In undis ambulat ficco vestigio.

HEu nimium truculenta cohors? arat, urit, & angit,
Tempora, terga, latus, fustibus, igne, flagris.
Durus eras, nullâque potens mollescere flammâ,
Mollior ut fieres, te quoque mersit aquis.
Marmor eras; te nulla tamen modò suscipit unda,
Marmor ab attactu nempe fit unda tuo.
Tutus aquas calcat solido qui pendet ab axe:
Quam levis es? vel aquis nescius esse gravis.

BLASIVS

Inter Feras illæsus.

CErnis in urbe feras; feralia lustra perosus
Eripis Armeniis antra colenda feris.
Te Regem fecere suum; cubat inde Leæna,
Inde Leo Tigri iunctus, & inde Lupus.
Stas medius, tacitisque animos, legésque ministras,
Talibus excubiis est tibi tuta quies.
Si non primus eras hominum, tibi prima potestas;
Fallimur; &, post tot sæcula, primus eras.

Liberalitas Infulata.

IO. ELEEMOSYNARIVS.

Ioannes natus in Cypro, educatus in Cœlo.
Futurus Dei Quæstor in terris,
Debitum innatæ largitati Patrimonium,
Cum nasceretur, accepit.
Dignâ senio Iuventute transactâ,
Sublimitatem Ingenii, Claritatem Virtutis,
Exuere nolens, tegere nesciens,
Quod esse minimum vellet, esse coactus.
Ita Alexandrinos excoluit, ut sibi similes faceret,

Ita

Ita beavit, ut se conscio neminem gemere,
Neminem egere permitteret.
Plura semper appetens, quo plura daret,
Id unum habere se reputans, quod effudisset.
Cum omnium augeret Ærarium,
nunquam imminuit suum.
Ita profusus in homines, ut Avarus non esset in Deum:
Cum hominibus dedisset omnia, vitam dedit & Deo,
Suis futurus utilior,
Si in postrema largitione tenacior extitisset.

FIlius enim fuit Epiphanii genere Cypri locupletissimi, ac clarissimi hominis.

* Non immoror hic diutiùs in miraculis, quibus divina largitas Ioannis largitatem excitavit, ut cum vasa mellea in Aurum conversa invenit, &c. Omitto alia de quibus fusiùs Authores.

IO. ELEEMOSYNARII

Largitas mira.

QVæ tibi de superis æraria credita Gazis?
Omnia cum tribuas, omnia semper habes.
Semper habes quodcunque avido partiris Egeno;
Quicquid opum pergas perdere, semper habes.
Omnia cum superis credas, Deus omnia credit:
Discit ab exemplo prodigus esse tuo.

IO. ELEEMOSYNARIVS

Æquè opum ac vitæ prodigus.

QVæ tibi ſufficiant Lydi patrimonia Cræſi?
Solus Erythreas dilapidabis opes.
Inſtaurate novis, Superi, data munera gazis,
Si careat veſtris, hauriet ille ſuas.
Factus inops nec parcus adhuc; quid prodigat ultrà
Neſcius; eſt vitæ prodigus, ecce, ſuæ.
Quantus eras, quantumque tuæ magis utilis urbi,
Diſcere ſi poteras vel ſemel eſſe tenax?

Charitas Inſulata.

IGNATIVS ANTIOCHENVS.

Ignatius Antiochenus
Dignus Ioanne Præceptore diſcipulus.
Quem vincere non ſperaverat æquare curavit.
Animo quàm tempore Chriſto propinquior,
Ita eum expreſſit, ut ſe vidiſſe probaret.
Antiochiam ſudoribus alluens, flammis incendem.
Vivere neſciens, niſi vitam omnium tueretur,
Splendoribus ſuis Tyranno proditus:
Ventilari potuit, non extingui.
Vt Leonibus Leonem objiceret, Romam vocatus,
Non ſecùs ac ad alterius ſuppliciũ properavit ad ſuum.

Illius

* Illius Panis esse Percupiens,
Qui se panem fecerat omnium.
Intimo nimis ab igne concoctus
Bestiarum dentibus frangi voluit,
Qui homines in Deũ incenderat, feras in seipsũ incẽdẽs,
Nunquam securior, quàm cum periret:
Mortem metuere nesciens, provocare non metuens,
Non in solo Capitolio Romæ triumphari posse
monstravit.

NOtissima sunt Ignatii verba, Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.

IGNATIVS

Charitatis ardore totus igneus.

IGnis erat, dabat ore rogos, dabat ore favillas,
Frigora depulerat mentibus, ignis erat.
Ignis erat, quamvis liquidis equitaret in undis,
Demersusque freto cresceret, ignis erat.
Ignis erat; fugit obiectum Leo territus ignem,
Quem tetigisse negat dentibus, ignis erat.
Ignis erat tandémque feras accendit in ignem:
Pulvere in exiguo desiit, ignis erat.

IGNATII CHARITAS

Cum Leonum feritate colluctans.

SÆvit in Herorum furiatâ mente Tyrannus,
Invictúmque parat vincere morte Ducem.
Excitat immites Circo plaudente Leones,
Apponitque avidis prandia dira feris.
Sed rabidas scelerare negat dum sanguine fauces
Bellua, ab illæso corpore vita fugit.
Non fuit immundo panis violandus ab ore
Qui cibus ætherei debuit esse patris.

Magnanimitas Insulata.

PETRVS ALEXANDRINVS.

Petri Alexandrini vitam
Non ideò deteriorem putes, quod sit ignotior morte,
Pretiosam enim mortem non nisi vitæ meritis emit.
Eo seculo natus,
* In quo si miser esse noluerat, Probus esse non posset:
Ita assuevit ærumnis, ut eas etiam adamaret,
Optimo antistiti suffectus melior,
Vt Diocletiani Furiis
Parem Ægyptus objiceret Ducem,

Ita desudavit in suorum roboranda constantia,
Vt etiam sine Tyranni gladio gloriosè posset obire.
Ita intimus Christo,
Vt eius etiam arcana cognosceret,
Eius tunicã lacerantẽ Arium usque adeò est detestatus,
Vt se nequiorem Ario crederet, si Ario pepercisset.
Carceri mancipatus se talem exhibuit,
Quales suos esse voluerat.
Tandem eo felicitatis genere felix,
Quod infelicior esse vix posset,
Ereptus supplicijs evolavit in cœlum.

VIxit enim temporibus sævissimorum Cæsarum, quorum furiis usque adeo iactati sunt Christiani, ut in nihilum asbituri crederentur.

* Successit enim Thæoni Sanctissimo homini, cuius laudes fusiùs celebrarunt scriptores Ecclesiastici.

PETRI ALEXANDRINI MAGNANIMITAS *Christum solatur.*

CArcere clausus eras; Cœlum sed liber adibas,
Quin tuus Aligeris carcer, Olympus erat;
Summus adest genitor, teneros collectus in artus;
Sed lacera ex Arii crimine vestis erat,
Dumque suos aperit questus, solatia reddis,
In gremio lacrymas perdit & ille tuo.
Quanta inerat tibi vis animi? fidicere fas est,
Vel Deus est animo visus egere tuo.

PETRI ALEXANDRINI

MAGNANIMITAS

Ario Infensa.

COlla metit lictor, veniam vitamque recepit
Ast Arius veniam dum rogat, usque negat.
Damna tibi fecere pares: Heus, Fare, quid hoc est?
Ille mihi vitam sustulit, iste Deum.

Fortitudo Insultata.

POLYCARPUS SMYRNENSIS.

Polycarpus Smyrnensium Præceptor, & Parens,
Patriâ non moribus Asianus,
* Etiam in Asia fortes nasci, & ali posse probavit.
Christi discipulus ætate coævus, munere succedaneus,
Virtutis quam collegit ex omnibus se fecit Epitomen:
In hoc mirandus; quod ita omnes unus expresserit,
Vt dum viveret, eorum neminem periisse putaret:
In hoc amandus quod se non crederet esse quod erat,
Ingenio virtutem illustrans, ingeniumque virtute,

Perditos.

* Perditos novatores moribus damnavit antiquis.
Suorum incolumitatem negligere nescient,
Suam tueri non valens,
Tyrannum non metuens, nisi eum mitior videretur,
Vitam suam moriens clariorem fecit in flamma.

* ITa malè audiebant apud antiquos Asiatici, utpote molles, ac voluptuarii, ut apud Lacones lege cautum fuit, ne quis abiret in Asiā; imò verò malè sit exceptus aliquando adolescens, qui viam, quæ eò duceret, se cognovisse jactaret.

* Emergentes hæreticos usque adeo execratus est Polycarpus, ut cum semel, dum Romæ esset, in Marcionem offendisset, rogatus ab eodem an illum agnosceret; utiq; respondit, te Satanæ Primogenitum esse pernosco.

POLYCARPVS MORIENS

Ignem extinguit Sanguine.

QVæ nova de mediis jacularis flumina flammis?
Qui novus accenso surgit ab igne liquor?
Sanguineas vomit ignis aquas, rutilumque nitorem
Perdidit, & roseo naufragus imbre perit.
Esse rosas, non esse rogos quod in igne putares;
Arida ne fierent semina, fonte rigas.

POLYCARPVS

In flammis illæsus.

DVm trahitur mediósque ruit Polycarpus in ignes
Credidit esse rogos, comperit esse rosas.
Sævit adhuc, supraque suos accenditur ignes
Barbarus, & flammis uritur ille suis.
Ligna rogo geminat, geminat sua damna sibi uni
Noxius, ille suo solus ab igne calet.
Barbare, quid pergis? non igne extinguitur ignis;
Si renuas alijs parcere, parce tibi.

Beneficentia Insulata.

EPIPHANIVS CONSTANTIENSIS.

Epiphanius
Vrbium bono natus in sylvis,
Pecudum Pastor cum esset.....
Pastor esse meruit Populorum,
*Cum deteriori fortuna deteriorē exuens sanctitatem,
Ex Iudæo, & Christianus, & Monachus;
Qualis esse deberet inter homines, didicit inter feras.

Diu

Dū peregrinaretur, de Christi Patriâ veneraretur, & suâ;
* Dum fugeret insulas, delatus in Insulam,
Frustra quærere latebras,
Quem Deus latere nolit, edidicit.
A Constantiensibus factus Antistes antequâ cognitus,
Se talem exhibuit, qualem eum esse decebat,
Quem Deus non homines eligisent. (Deus,
Illis placere nesciens quibus nec in omnibus placeret
Injurias beneficiis ultus, edocuit
Non plura se potuisse patrare, quam pati.
Tandem Annorum numerum exæquans meritis,
* Multiplici tempestate jactatus defecit in mari.

✤✤✤

EPIPHANIO

Mortem Luscus intentans alterum recipit oculum.

ECce tuas uno metitur lumine Gazas
Luscus, & eluso cardine furta parat.
Poscit opes, premit ense caput, cum nulla superstes
Præda, tuum, dixit, sit mihi præda caput.
Ille sed illicitam faceret dum vulnere messem,
En prius exclusum lumine lumen habet.
Corruit in gemitus, quin te jam pronus adorat,
Iamque suum melius perspicit ille nefas.
Ille oculo quondam non te bene videratuno,
Lumina dum geminas, te videt atq; timet.

EPIPHANIVS AVARO

Binos eripit oculos, unum reddit.

POscit Avarus opes, quas tu Patrimonia Vulgi
Feceris, instat, agit, téque, tuósque premens,
Lumina dum quærit, rutilum quæ fecerit aurum.
Nulla retrocedens lumina cœcus habet.
Ille suum melius cernens sine lumine crimen,
Poscere suetus opes poscere cœpit opem.
Incipis esse tenax, alter dum cessat, utrumque
Postulat ille oculum, reddere utrumque negas.
Vnum habet ille tamen. Te fecit avarus avarum,
Lumina qui repetit bina, negare docet.

INFVLATAE VIRTVTES

IN SANCTISSIMIS

OCCIDENTALIS ECCLESIÆ PATRIBVS EXPRESSÆ.

Infulata Sapientia.

AVGVSTINVS HIPPONENSIS.

Aurelius Auguſtinus
Octavodecimo Conſtantii anno natus,
* Non niſi Theodoſii decimo vivere cœpit,
Primam ætatis partem ne quæras; in cœno perdidit.
Felix, qui demum ſcierit amiſſa redimere,
Felicior, qui poſſet.
Vera gaudia auſpicatus, à gemitu,
Initiandus ſublimioris doctrinæ Magiſter
Librum è cœlo jubetur accipere,
Sordes ſuas ſpeculatus in pagina,
Vt eas vel obrueret, vel eluere,
* E Matris oculis lachrymas tranſtulit in ſuos.
Sibi, Matri, & Patriæ redditus,
Tenebras ſuas, dum in lucem edidit, illuſtravit.
Nunquam videlicet ſolem puduit è tenebris erupiſſe.
Nullius honoris avidus, omnium capax,
Meruiſſe contentus, habere contempſerat,
Niſi plus merita, quam demiſſio potuiſſent.
Æquè ſcribenda faciens, ac legenda deſcribens,
Moribus ſuis fidem ornavit, ſtylo defendit,
Veritatis amantior, quam ſui.
Defæcavit infectam, refecit extinctam,
Vtilis, dum errores detegeret alienos,
* Sincerus, dum nec regeret ſuos.

Hemi-

Homine major in divina consurgens,
Ira Deum describeret, ac si vidisset;
Nisi angustias suas Augustũ etiam sensisset ingeniũ.
Iamque non habens ultra quid discerret, vel amaret,
Æquè annis ac meritis gravis,
Obsessa ex urbe migravit in cœlum.
Felix Africa,
Si crebrius hujusmodi monstra proferret!

EO enim tantum anno sub Christi Iesu Virtutisq; stipendiis merere cœpit.

* Tunc enim primùm de filii salute sollicita mater esse desiit, cum Augustinum anteactæ vitæ sordes lachrymis luentem aspexit.

* Scripsit enim Retractationum libros, in quibus errores suos eâ libertate qua olim alienos correxit.

AVGVSTINI INGENIVM
Dei unius non capax.

SVpra hominum, mundiq; vias, supra omnia surgis;
Non capit ingenium, terra, fretumque tuum.
Te tamen usque capis; Mundo tu major utroque,
Quem capere haud valeat mundus uterque capis.
Si capis usque Deum, potes & Deus alter haberi,
Et mihi post Trinum quartus amandus eris.
Parce tamen, minor ipse Deo; te mundus uterque
Non capit; at vires vix capis ipse tuas.

AV-

AVGVSTINI SAPIENTIÆ

Librum exhibet Cœlum.

ASTra pluunt tacito lacrymarum semina nimbo,
Illa pluum animo sensa pudica tuo.
Plaude; tibi nova lux oritur, novâ pompa diei,
Lapsus ab Axe liber semina lucis habet.
Accipe; Dona tui sunt hæc meliora magistri:
Doctorem terris sic notat esse suum.
Tam bene siderei pingas quod gaudia mundi
Quid mirer? libros Astra dedere suos.

Vigilantia Infulata.

AMBROSIVS MEDIOLANENSIS.

Ambrosius re, quàm nomine dulcior,
Mel antè habuit in ore, quàm voces.
Avorum glorià nobilis, nobilior suâ,
Christianus antè cæpit esse quàm fieret.
E Prorege destinatus Antistes,
Subiratus virtuti suæ quod latere nesciret; effugerat,
Si eum sola hominum suffragia delegissent.
Laboribus suis alienos absumens:

Nulla

Nulli non intimus omnium sensit incommoda;
Ita miseros audiens, ut felices dimitteret,
* Ita feliciores admonens, ut linqueret infelices.
Principibus æquè carus, ac utilis,
Veneratus ut Patres, correxit ut Pater.
In hoc verendus, quod contemneret neminem,
In hoc timendus quod neminem formidaret.
Christi causam reputans suam,
Vt depressam erigeret, sæpe depressus,
Facundia hostes deterruit, constantia fregit.
Aures suas obstruens nulli, vocē omnibus exhibens,
Fecit incertum, audiendóne magis profuerit, an dicēdo,
Vocem virtute corroborans,
Disertissimus etiam cum taceret,
Nunquam avidius optabatur auditus,
Quàm cum diutius esset auditus.
Probis factus Asilum, flagellum improbis,
Vrbē suā cō meliorem reliquit, quo deteriore acceperat.
Deficiente naturā nulli deficiens,
Ita Præsulē se esse meminerat, ut senem se esse nesciret,
Quorum mores expresserat, venerasus exuvias
Exhibitos aliis honores promeritus
Vitam mutavit verius, quàm amisit.

* CVm enim nondum nomen dedisset Christo, ita tamen vivebat, ut adhuc Catechumenus in Episcopum sit electus.

* Cum aliquando in domum cujusdam, qui se felicissimum diceret, ex itinere divertisset, inde præcipiti gressu fugiens hominem monuit, ut caveret sibi; omnes videlicet illi calamitates in una imminere; quod probavit eventus: Paulo post enim domûs ruinâ obrutus interiit unà cum suis.

AMBRO-

AMBROSII VIGILANTIA

Arianis ingrata.

MEl fueras, te nôrat Apis; Quis fecit acerbum?
Ambrosia, ut fueris, vix tamen ullus amat.
Vix superi Ambrosio Cives pascuntur; alumnos
Crede Erebi, superum quos minus esca placet.

AMBROSIVS

Vel in imagine Vigilans.

FLagra, rotas, vultuq; minax fera verbera torques,
Inque tuis rutilat flamma timenda genis.
Vita deest; tibi prima tamen non deficit ira;
Lux cadit ex oculis, non tamen ira tuis.
Scilicet excubias vigili quoque perficis umbra;
Est tua terrendis hostibus umbra satis.

Insolata

Infulata Liberalitas.

PAVLINVS NOLANVS.

Paulinus ad felicitatem Italiæ natus in Gallia,
Optima quæque, cùm poſſet, elegit,
Cùm non poſſet, quæ eligere potuiſſet accepit.
Illis è Parentibus ortus qui talẽ mererentur hæredem,
Ita quæſivit ex moribus claritatem,
Ac ſi nullum habuiſſet ex genere.
* Muſis amicus, ut earum levitatem gravitate corriperet ſuâ;
Poëtam ſolo exprimens nitore carminis,
Artem omnem virtuti vectigalem effecit.
Aſſecutus Vxorem, quam tales decerent nuptiæ,
Vt omne vitæ genus ſuis erudiret exemplis,
* Sponſâ Chriſto potiùs viſus eſt accepiſſe, quàm ſibi.
Diu peregrinatus, ut luci ſuæ latebras quæreret,
Quo ſe magis circumageret, magis accenſus,
Illis ſe prodidit artibus, quibus abdere ſtuduiſſet.
Cum omnia arriperet ſibi, ut in egenos effunderet,
Coactus unà cũ opibus operâ ſuâ Nolanis impendere,
Ita ſalutem curavit animorũ, ut nõ negligeret corporũ.
Aliorum nunquam oblitus, ſui ſæpe non memor,
Vſurpare ſibi non appetens, niſi omniũ calamitates,
Quem in ſe vitæ amorem extinxerat, excitavit in ſuis.
Interceptus à Barbaris, ne melior ſua eſſet,
quàm Nolæ conditio,
* Omnium infeliciſſimus, ſi ullo felicior extitiſſet:
Nunquam ſe miſerum doluit,

Niſi

Nisi cum ærumnarum socios habere se vidit.
Libertati redditus, libertate sua redemit alienam,
Nunquã liberalior, quã cũ nõ haberet ultra quod daret.
Ex Africa in Italiam, ex Italia revectus in cœlum,
Felicitatem, quam suis vivendo creaverat,
Abstulit obeundo.
Præsulum Norma, quod ita vixerit;
Gloria, quod ita scripserit.

*Fuit enim Poëta celeberrimus: Poëtarum tamen vitiis caruit non virtutibus.

* Cum sponsa enim tanquam cum sorore vixit, cum in Gallia, tum in Italia.

Nolã enim à barbaris captâ, ipse etiam diu captivus in carcere detentus est, & vario supplicíorum genere exagitatus. Vide Bar.

PAVLINI CHARITAS

Magnis à Cœlo muneribus compensata.

LVget inops, escamque rogat, nec Egenus Egenũ
Abjicis, exhibitam non probat uxor opem.
Quod superest, tres ferre jubes in prandia cistas,
Abdidit illa unam, prodidit illa duas.
Ecce tibi geminæ veniunt ad littora puppes,
Tertia nempe oculos mergitur ante tuos.
Discit Avaritiem Pelagus: tribus eripit unam,
Est Pelagi in misero quæ fuit antè fames.

PAVLINVS

Libertatem suam alienæ pretium facit.

POscit opem miseranda Parens natumque reposcit
Quod matri posses credere, solus eras.
Illa petit: dare non renuis; licet omnia desint,
Solus quod possis vendere semper habes.
Libertas pretiosa nimis, si dicere fas est,
Invenit pretium par semel illa sibi.

THO-

THOMAS CANTVARIEN.

Charitas infulata.

Thomas Cantuarienſium Athanaſius,
In Patriæ natus incendio
Nunquam aut frigidus eſſe potuit, aut obſcurus.
Æquè naturæ, ac hominum beneficentiâ expertus,
Ita Regi placuit, ut alterum penè faceret Regem,
Ita Deo, ut alterum penè redderet deum.
Cùm ita placeret omnibus ſibi unì non placens,
Et Regis, & Dei ſuffragiis factus antiſtes,
eò deveniſſe ſe doluit,
Vbi Deo placere non poſſet, & Regi.
Quò ſublimiùs aſcenderat, eò ſtudens clariùs emicare,
Mutuatus à virtutibus radius eſſe cœpit illuſtrior,
Quàm poſſet ab invidorum oculis tolerari.
Principum legibus obſtare paratus, ſi divinis obſtarent,
Cùm Regi dare non poſſet, niſi quod adimeret Deo,
Ingratus videri maluit, quàm eſſe,
Cedētib. cæteris quòd unus & ſibi ſufficeret & veritati,
Aulæ jam gravis, quia levis eſſe neſciret,
liber eſſe non poſſet.
Nobilis exul ubique patriam inveniens,
Optimam cauſam, tolerantiâ ſuâ meliorem effecit,
Nunquam memor injuriæ, niſi ut condonaret,
Suorum ærumnis indoluit, non doluit ſuis,
Tempori ſerviens, ut Deo ſerviret impenſiùs,
Inter monachos ita vixit in ſylvis,
Acſi nunquam inter aulicos vixiſſet in urbibus.

Corpo-

Corpori ſuo ea inferens damna,
Quæ vix Tyrannus inferre voluiſſet.
Exilium ſæpè permutans, animum nunquam,
Revocatus in patriam, ut inde patricidio pelleretur,
Maluit adulatorum gladiis inter Aras occumbere,
Quàm Adulator in Aula regnare.

EA ipſa die, qua Londini in Anglia natus eſt Thomas, igne in ejuſdem ædibus excitato, tota pènè Civitas conflagravit.

* Pulſus ex Anglia unà cùm ſuis ab eo ipſo Rege qui eum ſummis honoribus decoraverat, diu in Gallia inter Monachos ſanctiſſimè vixit, corporis afflictationibus ita deditus, ut omnibus prodigii loco eſſet.

THOMÆ NATALITIVM

Patriæ incendio illuſtratur.

FLamma tuis inſtat dirum natalibus omen,
Te peperiſſe rogo credidit ægra Parens.
Ambuſtum Patriæ naſcens fumare cadaver
Perſpicis, eſt vitam flamma ſequuta tuam:
Non timet Vrbs flammas: potuit contemnere: Sed cur?
Naſcitur amiſſis qui meliora daret.

THO-

THOMAS

Regis furiis cedere nesciens occiditur ad aras.

QVàm te barbaricâ despectat fronte Tyrannus?
Heu tibi sit lictor, qui fuit antè Parens.
Despicis, expectas gladios, læto excipis ore,
Quæ spernis Regum vulnera ferre potes.
Occidis, atque tuo missas sacra templa cruore;
Regali fueras victima danda manu.

Insulata Lenitas.

MARTINVS TVRONEN.

Martinus Constantii miles antequam Christi,
Nescias an militiam laudabiliùs adierit an abjecerit.
Gloriâ nõ minùs ex moribus appetens, quã ex armis,
Fortitudine militem retulit, virtute monachum.
Christo jam militans, cũ nondũ mcrere mũdo cessasset
Nudus esse malens quam parum pius,
Dei beneficentiam provocans suâ,
Chlamydis parte totum emit Empyreum.
Cum in fures offenderet, suâ securitate defensus.

Illis

Illis nequitiam eripuit, qui sibi vitam rapere voluissent,
Æq; beneficus, cũ hęc adimeret, ac cũ traderet meliora.
Nihil ab Erebo metuens, nihil à cœlo non sperans.
Cum vivos bene mori doceret, mortuos bene vivere
docuit. (membris:
Homine major, seu vitam daret animis, seu redderet
E Cœnobio coactus ad insulas,
Cum nemini deesse curaret, monachus esse nõ desiit.
Non minus admirandus cum Chlamydem dividerent
Quàm cum hæc ita divisa connecteret.
Cũ miseris donaret omnia molestis omnia cõdonaret:
Nihil habens quod Dei causa non daret;
Nihil appetens, quod à Deo non acciperet.
Illustravit virtute prodigia, prodigiisque virtutem.
Ita reveritus homines, ac si timuisset,
Ita Deum, ac si non amasset.
Se unũ habuit, quẽ contemneret, unũ quẽ non amaret.
* Laborũ nunquã avidior, quã cum diutiùs laborasset.
Cum inter homines nil nisi cœleste saperet.
Inter Cœlites, nihil humanum,
Ita voluerat in Cœlis gaudere cum Deo,
Vt non desineret in terris desudare cum suis.
Votorum litem componens totus elatus in cœlum
Nescias utiliórne terris fuerit, an Cœlo carior.

* Offenderat in Latrones Martinus, Stricto gladio rogant an timeret. Ridet ille; & se nunquam minus timuisse testatur, speraſſe enim in majori discrimine sibi Deum propius affuturum. Qua securitate permoti fures, eum secuti in cœnobio sanctissimè senuerunt.

* Cum suos jam moriturus videret gementes, in ea notissima verba prorupit, si populo tuo sum necessarius non recuso laborem, &c

MARTINI
IN MISEROS
Clementia ſingularis.

NVdus adeſt, tremuliſq; probat ſua damna lacertis,
Depreſſóque oculos ſauciat ore tuos.
Eſt tibi ſola Chlamys, ſtricto quam dividis enſe,
Et Chlamide ex una, téque, inopémq; tegis.
Dividis? at tectum cernes dum veſte Tonantem,
Quam cuperes partem non habuiſſe tuam?

MARTINI LENITAS
Latrones à latrociniis avocat.

DVm tua multiplici premitur Latrone Crumena,
Ille aurum, vitam poſtulat ille tuam.
Aſt hilari tu fronte minas contemnis, & aurum
Ore vomens, aurum ferrea corda facis.
Fauſta latrocinio pietas; quod poſceret aurum
Tu dare non poteras; quod potes inde dabis:
Felix quiſque tuas cupiat decerpere Gazas;
Virtus quam poſſit carpere, ſola tibi.

Magni-

Magnanimitas Infulata.

CYPRIANVS CARTHAGI.

Cyprianus,
Vt Africæ geminaret ardores, natus in Africa,
Nobilitatem quam naſcendo meruerat,
Vivendo fecit ampliſſimã, immortalẽ reddidit obeũdo.
Æquè fœcundus ingenio, ac facundus eloquio,
Nunquàm diſcere renuens: nunquã dedignatus docere,
Suum etiam Carthaginẽ Tullium dedit,
Vt quando deſierat armis eum Roma contendere,
Eam conaretur facundiâ ſuperare.
Nihil ſe ſcire reputans, cũ Deum ſe ignoraſſe cognovit,
A Cæcilio & mores accepit, & Nomen;
Futurus maximus, cum Chriſti quæreret gloriam.
Qui ita magnus extiterat, dum tantũ quæreret ſua,
Sibi uni utilis eſſe jã neſciens, Deo ingratus eſſe jã nolẽs
Acceptam lucem ita diffudit in cæteros,
ut in ſe non minueret.
Pro veritatis patrocinio ſæpe progreſſus in forum,
Ritus intempeſtivam in tam bona cauſa facundiam,
Eam ita neglexit,
* Vt tantæ Cypriani negligentiæ nulla ſolertia
poſſit æquari.
Quo propius ad Deũ accederet, ab uxore, natiſq; recedẽs
Cum ſe deprimeret infra cæteros,
ſupra cæteros meruit collocari.
Præſul eſſe gaviſus,

Quod è ſublimiori ſpecula aliena meliùs
ſpectaret incommoda
Se graſſante ſuis probavit medicum,
bacchante Tyranno Patronum.
Barbarorum ſævitiem præcavens non effugiens,
Cum omnium animos in ſe uno ſervaret;
Diu delituit, non quia timidus ſed quia prudens,
Cum tuto poſſet adhuc latere,
& honeſtè jam poſſet erumpere.
Suis æquè utilis cum lateret, ac cum erumperet,
Quos ſæpius verbis accenderat, accendit exemplis.
* Non illibentiùs vitam amittens, quã alter eriperet,
Quæ virtutibus accenderat odia extinguès ſanguine,
Se ita vixiſſe, ut ſtrenue mori mereretur oſtendit.

*TEſtatur de ſeipſo Cyprianus eodem ſtudio, quo cæteri excolere curant Eloquentiam ſe curaſſe negligere, poſtquam à Cecilio eſt vocatus ad Chriſtum. Nihilominus tamen ejus facundiam non ſolum Lactantius, Nazianzenus Hieronymus, Auguſtinus, ſed univerſa poſteritas admirata eſt.

* Ad ſupplicium ductus viginti quinque aureos, qui ſibi ſuperfuerunt, Carnifici tanquam de ſe optimè merito dari juſſit.

CY-

CYPRANVS

Novum in Africa monstrum.

ALLEGORIA.

QVàm variũ, quantúmq; ſibi parit Africa monſtrũ?
Mane fuit corvus, veſpere Cycnus erat.
Guttura ſi moveat flammas jaculatur, & ignes,
Igne flagrat, ullas vix tamen horret aquas.
Si volat, Empyrei faſtigia ſumma perertat,
Vtque necem fugiat, non timet uſq; necem.
Vnum erat; at monſtro quot monſtra includit in uno?
Nobilius monſtrum vix dabit ulla dies.

CYPRIANI

In Morte magnanimitas.

QVæ nova mõſtrifero renovas portenta ſub Axe
Vitam quò valeas perdere vulnus emis.
Vita tibi pretioſa fuit, quid prodigis? an mors
Vt pretioſa tibi cedat emenda fuit.

Fortitudo Insulata.

EVSEBIVS VERCELLENSIS.

Eusebius Vercellensis
Non ad unius gloriam Provinciæ natus
In Sardinia vitam, in Latio fidem,
In Insubria Palmam accepit.
* Romano Pontifici à Matre creditus Puer;
Vt sub eodē præceptore Eusebius erudiretur, & mūdus,
Cujus virtutem acceperat, accepit & nomen.
Roma se dignum non reputans,
Nisi addictā spectaculis urbē novo pasceret spectaculo,
Virtutes omnes in se tanquàm in theatro circūtulit.
Cum ipse Romæ, non ipsi Roma sufficeret,
Monachorum mores è Græcia in Italiam devehens
Novæ philosophiæ & auctor esse meruit, & idea.
Vercellas accitus
Vt Vrbem antiquissimam suâ innovaret industriâ,
Nolens ita vacare cæteris, ut sui se vellet oblitum,
Dignus visus est,
Qui ut præiverat monachis, ita & præiret Episcopis.
Vt virtutes meteret, vitia demetens;
Vt veritatem firmaret, errores enervans.
Illis diu placere non potuit,
Quibus æquè virtus, ac veritas displiceret.
Athanasium damnare renuēs, ne se quoque damnaret,
Maluit cū eodē exul abire, quā Iudex in eundē sedere,
Infelix Italia, si quē daret Athanasio sociū nō habuisset;

Ita

Ita exilium tolerans, ut videretur optâsse,
Ita suos literis roborans, ut vix crederetur abiisse,
In pessimi Principis funere reviviscens,
Vrbi suæ redditus eam reddere studuit veritati.
Iterum tamen frementibus iis
Qui æquè in se, ac in aliis probitatem odissent;
Multiplici supplicio deleri potuit, non terreri.
Dignus qui veritatis annos æquaret,
Qui obrutæ superesse noluerit veritati.

* CVm Eusebius Pontifex maximus ad Ecclesiæ Clavum sederet, Eusebius, qui nondum ab Ephebis excesserat, Romam est à matre deductus, & summo Pontifici oblatus, ut eum erudiret, quem meliorem demum vitæ authorem agnoscens Eusebius, eius nomine voluit appellari.

* Cum sub Constantio Cæsare Athanasium Alexandrinum damnare renuisset Eusebius, est relegatus in Phrygiam, unà cum Dionysio Mediolanensi Episcopo, & Hilario Pictavensi.

EVSEBIVS ATHANASIVM *Damnare recusat.*

ALter avernalem resecas Athanasius Hydram,
Vnica in Alcides incidit Hydra duos.
Alter ut Euristheus socium damnare Gigantem
Percupit, idque dolis quærit habere tuis.
Condemnare tuos alieno in nomine mores
Ipse negas: te sub iudice causa tua est.

EVSEBII

In exilio Fortitudo.

ESt tibi nulla quies, terras iactaris in omnes
Visa tamen tecum est pulsa, repulsa fides.
Te sequitur quoque pulsa fides, Phrygiámque peretrat,
Discit ab exemplo fortior esse tuo.

CAROLVS BORROMEVS

Infulata Charitas.

Carolus Borromeus
Natus cùm novo lumine geminus,
Se tenebrarum non esse filium vel nascendo probavit,
Avorum gloriæ memor, ut eam geminaret in sua.
Se talem exhibens in Pueritia, qualem optasset in senio.
Virtutum iter nescius an potuerit absolvere sanctiùs,
An inchoare maturiùs.
Infrà probitatem nil habens literis carius.
Probitate nil reputans pretiosius.
Cùm artes non appeteret, nisi quas optare debuerat,
Obtinuit, quales optârat.
Pio Quarto affinitate carus, virtute carissimus.
In Atlantis suffragium novus accitus Alcides,
Etiam sine socio mundum ferre se potuisse probavit.

Non

Non tam alienæ beneficentiæ quàm meritorum ſuo-
rum ſuffragio,
Purpuratis adſcriptus.
Iure dubites an maiorem dignitati contulerit,
An à dignitate retulerit dignitatem,
Vt Patriam virtuti redderet, Patriæ redditus.
Nunquam mentem ſuam acuratiùs coluit,
Quàm cùm etiam coleret alienam.
Virtutum ſemina voce manuque jacens,
Sudore ac lachrymis alluens.
Dignam laboribus meſſem obtinuit.
Dignam meſſe mercedem accepit.
Vt ſecuriùs quieſcerent ſui, quietem adimens ſibi,
Venalis omnibus, ſi pretium habuiſſet,
Neſcias an omnium Pater eſſet, an ſervus:
Animi ſui nitorẽ in templis exprimens, vaſtitatẽ in donis,
ut auri prodigus, ita vitæ minimùm tenax,
*Quàm nõ amaret utrúmq; in Peſtilẽtia demonſtravit,
At non ita Carolum amaverat Deus, ut Caroli gregẽ o-
diſſet.
Vitam accipere renuens, quã ſolùm non poſſet accipere,
Mori volentem coëgit vivere,
Donec fatigari neſcium terris eripuerit, cœlo redderet,
Gaviſus in ætate ferrea aureum hominem revixiſſe.

EO enim ipſo, quo natus eſt tempore, novo quodam lumine matris cubile refulſit.

* Graſſante enim peſtilentia non ſolùm opes in miſe-
rorum ſubſidium erogavit, ſed vitam ſuam, ut alie-
nam ſervet in certum diſcrimen adducit,

CAROLI BORROMÆI

Mira in pauperes Charitas.

PRodigus esse aliis poteras tibi factus avarus,
Cùm nihil ipse habeas, prodigus esse potes.
Vertere velle solum te suspicor; omnia vendis.
Quæris opes tecum semper habere tuas.

CAROLI CHARITAS

Pesti Timenda.

ECce manu geminâ diram quatit aspera falcem.
Et viduat miseras mors sine lege domos.
Obvius esse potes; te transeat illa paratam.
Sæpe etiam visa est præteriisse dapem.
Vilis erat tibi vita; potest mors credula vilem
Temnere, decepta est sensibus illa tuis.

Bene-

Beneficentia Infulata.

REMIGIVS REMENSIS

Remegius ingens Galliæ prodigium,
Ingenti prodigio natus est.
Vitã prodigiis inchoãs prodigiis transiens, & absolvẽs
Hoc primum edidit in orbe prodigium,
Vt sterile parentum senium fœcundaret.
Non deterior esse cùm cœpit,
Quàm promissus fuerat, antequam esset.
Lacte quod suxerat, cæco reddidit oculos.
Agẽte Deo, ut cũ nova luce, novi etiã oculi nascerẽtur,
Prima in ætate inchoans, quod perficeret in extrema.
Crederes è sembus, senem natum esse, non puerum
Ne cautior esse desineret elapsus ad canes.
Se victorem facere studens,
Vbi nullus erat, quem vinceret.
Seipsum impugnans, de seipso etiam triumphavit;
Dignus quem cogerent præesse Remensibus,
Cum scita bene præesse cogeret sibi.
Adolescentiam præcoci senectute nobilitans,
Labores suos quo inchoavit ardore confecit.
Nunquam ad metam aspirans.
Quod nullam pateretur habere.
Igneum credidisses,
Nisi quod sæpe excitatos ignes extinxit.
Peccata nesciens, nisi ut corrigeret.
Ærumnas omnium scire cupiens, ut curaret.
Dei largitatem implorans, cum humana deficerent.

Cœlum

Cœlum telluris alumnis; terram cœli donis implevit.
Invictissimum Regem Christi Regno subjiciens
Galliam universam cœlo vectigalem effecit.
Regibus maior, cui tanta licerent in Reges.
Extrema in ætate cæcutiens
Vt cæcitatẽ curare se, & tolerare potuisse probaret;
Vnum in ea dignoscens commodum,
Quod se melius videre iam posset.
Tandem oculis lucem reddens, animum Deo,
Ita migravit è vivis,
Vt tamen in tumulo vivere videri posset.

REMIGIVS CÆCVS

Cæcis oculos reddit.

DIves eras, factusque tamen de divite pauper,
Perdere quæ valeas omnia Pauper habet.
*Cæcus adest poscitque oculos, oculatus abivit,
Visus at est oculos inde referre tuos.
Ipse cares oculis, dederas qui lumina cæco,
Prodigus es, tc. oculos credo dedisse tuos.

REMI-

REMIGIVS EXCITATVM in Vrbe ignem *Sui corporis expellit objectu.*

VVbem flamma vorat, variis furit excita ventis;
Est cinerum cumulus, quod decus urbis erat.
Flammas quisque fugit, flammas Remigius ultro
Increpat, oppositos pellit & urbe rogos.
Igneus es, socio cur se non iungeret ignis?
Totus es in lachrymis, horruit ignis aquas.

Infulata Religio.

HILARIVS PICTAVIENSIS.

Hilarius
Oppressæ veritatis Hilaritas,
Hilaratæ securitas,
Quam vitam semel accepit in Gallia,
Galliæ non reddidit semel,
In errorum tenebris, ad meliorem lucem aspirans:
Dũ Philosophiã, scrutaretur humanã, Divinã invenit,
Errore suo felix,
Quod pernicioſa quærens inveniſſet utilia,
Nequitiam suam detestatus, ubi primum agnovit,
Eo citiùs virtutum iter absolvere satagens,

Quo

Quo ferius inchoaverat;
Monstri loco cœpit haberi,
Seu quod sine noxa jam viveret,
Seu quod sine erroris suspicione doceret.
Quã unã à Deo acceperat filiam eidem desponden*
* Sibi maluit ablatam videre, quam sponso;
Nunquam visus hilarior,
Quã cùm Deum hujusmodi nuptiis sibi fecit affinem.
A Pictaviẽsibus cõtra errorũ Auhores electus in Ducẽ;
Cum ab hostibus nec tolerari, nec vinci posset,
Relegatus in Phrygiam, novum solem ab Oriente
In Occidentem duxit:
Stylo decertans, cum ultrà voce non posset,
Quod hostes minarentur appetens, quod pollicerẽtur
contemnens, iis ipsis, qui timeri voluerant cœpit
esse timendus,
Vt perditum Principem, æquè voce,
ac moribus cessaret arguere.
Magis indoluit quod rediret in Patriam quã quod
Pugnasse se pro veritate non reputans, (abiisset;
Quod non occubuisset in pugna.
Absentiæ suæ damna rependens,
Laboribus suis beaverat Gallias, authoritate defederat,
Nisi cœlo pretiosior extitisset,
Quàm ut diutiùs linqui deberet in terris.

* ABram filiam hortatus ut humano contempto connubio divinum assumeret, cum quod optaverat impetrasset & Deum rogavit, ut quam eidem desponderat filiam, antequam noxa graviori læderet Innocentiam in Cœlum raperet. Nec vota refellit eventus. Filia enim dormientis in morem quievit in Domino

Domino: Ipſe verò miraculis clarior eſſe mox cœpit.

EPiſcopi enim Hæretici, qui ejus ſapientiæ, atq; virtuti pares eſſe non poſſent, metuentes ne libertate qua perorabat apud Conſtantium Cæſarem eum ab Arianis averteret, authores fuerunt eum ab exilio revocandi, magis optantes eum Cæſari eripere, quàm Pictavienſibus reddere.

HILARIVS

Amorem Chriſti Filiæ præfert.

VNica virgo tibi, numeri quæ damna rependat,
Vnica felicem te facit eſſe Patrem.
Iam fuerat jungenda viro; cum ſponſa Tonanti
Ducitur, affinem te facit illa Deo.
Conjugio veneranda novo, jam debita Cœlo
Aſtra petit, viduum deſerit illa Patrem.
Quid mirer, ſi dona tibi Deus omnia credat?
Mirer, ſi ſocero non daret iſta gener.

HILA-

HILARII

Pro Religione Labores.

QVàm bene diva tuo facundia ſedit in ore;
Vel Deus eſt verbis viſus egere tuis,
Si labat alma fides vario colliſa Tyranno,
Quæ fidei fuerat cauſa, erat illa tui.
Sive Deum minuit, Patremque coarctat in unum
Arius, eſt ſtudiis obrutus ille tuis.
Cuncta potes, pendentque tuis fermè omnia votis:
Quartus an es, Trinum, qui facis eſſe Deum?

Inſulata Miſericordia.

DONATVS ARETINVS.

Donati ſi vitam diſcutias,
Deo natum credas eſſe non mundo.
Martyrum filius; ut martyr dedicatur à Patre.
* Æquè martyrem dicas cum patris adeſſet ſupplicio;
Ac cum occumberet ſuo.
Sibi relictus, & Deo, quē præceptorē haberet & patrem
Ita mores perficere potuit ſuos,
Vt dignus videretur, qui etiam perficeret alienos.
Vndequaq; mirandus, quod mortuis vocēdaret, & vitā;

Cùm

*Cũ vitrea vasa cõnecteret, vitreos homines solidaret.
Tenebrarum filiis luce displicens sua est detrusus in tenebras;
Nunquam illustrior quam cum alienâ luce careret.
Tyranni tormenta non metuens quòd amaret.
Major visus est, quod ea siccis exciperet oculis,
Quàm quod imbres siccis exciperet vestibus.
Tandẽ Deo reddere cupiens quod ab eodẽ acceperat,
maluit capite carere, quàm fide.

---

*CVm enim Parentum suppliciis interesset puer, maximè doluit quod iisdem superstes esse cogeretur.

* Fractum à Barbaris Calicem integrum reddidit Sacerdoti, mortuum revocavit ad vitam, Pluviã impetravit in maxima siccitate, quam tamen cum totam excepisset in agro, siccis tamen semper vestibus fuit.

DONATVS

Suorum miseratus ærumnas Pluviam impetrat.

HEu Pluvias implorat humus, millenaque pandit
Guttura, milleno gutture poscit aquas.
Ipse tuas terræ precibus coniungis, & undis
Cuncta madent, solus sub Iove siccus eras.
Astra natare putes fusumque liquescere cœlum
Arva tenens sicca veste serenus eras.
Vel lacrymis satis udus adhuc non excipis imbrem,
Vel tuus immensas ebibit ignis aquas?

Donatus

DONATVS

Sacerdotis lacrymas miseratus
Fractum redintegrat calicem.

FRactus erat parteſque ſimul contritus in omnes;
Nec poterat myſtis utilis eſſe calix.
Fruſta legis, miſeri parteſque cadaveris aptas,
Hæ coëunt; ſimul eſt qui fuit ante calix.
Fracta ligare potes, nullo qui frangeris ictu,
Scilicet integritas integra cuncta facit.

Innocentia Infulata.

ALOYSIVS TOLOSANVS.

Aloyſius è Rege natus ad Regnum
Nunquam ſe Regè credidit, niſi cú ſe ſubderet ſibi,
Mundo jam utilis, cùm vix erupiſſet in Mundum,
In captivi Parentis locum ſuffectus Puer
Carcerem ſuum eruditione multiplici Lyceum fecit.
Quò arctius tenebatur in terris,
eò liberius in Cœlum evolans,
Optimam mentem nec vinci, nec vinciri poſſe probavit,
Non ideò Innocentiam minuens, quod ætatè augeret,
Sui Regnum Regno nobilius reputans ſuo,

Vi

Vt se omnium maximum faceret
Inter minimos omniũ minimus haberi voluit, nõ esse.
Coactus Tolosanis præesse, quandoquidem
ad imperiura natus erat,
Nescias an se omnium servum factum crederet,
An omnium Patrem.
Vt vitam produceret alienam contrahens suam,
Meritis addens, quod annis adimeret.
Virtutum iter cum alius inchoaret absolvit.

ALOYSII INNOCENTIA

Innocentibus Salutaris.

PRodierat, primasque puer captaverat auras,
Cum misero facta est ultima prima dies.
Te vocat ægra parens, videat licet illa sepultum,
Et tumulo vitam, poscit, habetque tuam.
Servaras puero, tibi quos mors sustulit annos,
Quid miter fuerit si tibi vita brevis?

ALOYSII INNOCENTIA

Nocenti utilis.

OCcidit hostili suspensus ab Arbore miles,
Ille tuam moriens usque requirit opem.
Promptus ades, funemque secas, ter vincula nectunt,
Ter sensere tuas vincula fracta manus.
Quæ tibi rapta fuit, Misero iam reddita vita est,
Illum vis annos vivere, crede, tuos.

Tole-

Tolerantia Infulata.

CLEMEN ANCYRANVS.

Clemente Ancyrano
Nullum virtus defendit æquius, nullũ exercuit durius;
* A Sophia matre Sanctioni Philoſophiæ genitus,
Nulla in ſe admittens peccata, omnia puniens
* Martyr videri potuit, antequam eſſet.
Nondum adoleſcens, iam tamen pauperum Pater,
Omnibus melior, omnibus præfici meruit;
Nunquã demiſſior cæteris, quã cũ eſſe potuiſſet elatior,
Diocleſiani furus interceptus,
Octavum ſupra vigeſimum annum exegit in pœnis,
Agente Deo, ut quando erat in mundo feritas,
Quæ omnia infligeret mala,
Eſſet & Charitas, quæ omnia & toleraret,
Sæpe in fruſta conciſus, nunquam non integer.
Cum per nulla vulnera nimium ingens animus poſſet exire,
Tandem ſuis redditus
Dum hoſtiam Deo daret Dei hoſtia factus.
Gemina victima, ſacrificium unà cum vita concluſit.

*SOphiam ſanctiſſimam feminam matrem habuit Clemens, quæ cum prænoſceret cum martyrẽ futurum, vel in faſciis tanquã martyrem venerabatur.
* Mirum enim erat, quibus ſe pœnis affligeret, ut ſe gravioribus ſuppliciis dignum redderet.

CLE-

CLEMENS

Inter Sacrificia occiditur.

DVm ſacra ſidereo faceres libamina Regi
Cæderis, & minio pingitur ara tuo.
Victima eras longos nimium contuſa per annos,
Non alio decuit te cecidiſſe loco.

CLEMENTIS

In ſuppliciorum diuturnitate Tolerantia.

TE prope ter denos lictor vexaverat annos,
Feſſus erat curis mundus uterque tuis.
Non tamen ulla tuos videt inclementia luctus,
Aut potis eſt duros ore ciere ſonos.
Indita quanta tibi clementia; nulla tyrannis,
Nulla alius ſupereſt; nam data tota tibi.

Pro-

Providentia Infulata.

MAXIMVS TAVRINENSIS.

Maximus Taurinenſis,
Capaciſſimi menſuram nominis factis exæquans.
Se etiam in minimis maximum fecit.
Magnitudine ſua omnium oculis proditus.
Nunquam ſe maximum doluit,
Niſi cum omnium minimus eſſe non poſſet,
Ideo ſe maximum negans, quod adhuc majorẽ faceret,
Dignam magnitudine ſua ſedẽ dignè potuit occupare.
Ingenii claritatem Eloquii nitore componens.
Vtrumque, innocentiæ candore perfecit.
Æquè in dicendo fugiens, ac in agendo peccata,
Vrbem ſuam Auguſtam, ſi non inveniſſet effecerat.
Tandem cum Cœlitum vitã tranſtuliſſet in terras,
Dignus viſus eſt qui transferretur in cœlum.
Beata Civitas, quæ talẽ habueris beatior quę merueris,
Beatiſſima, quod ſemel amiſſum,
In Antonio Provana recuperes.

*ELoquentiſſimus enim extitit, ut ex iis, quæ ſcripſit conſtare poteſt. Cæterùm cùm minus nota ſint ejuſdem præclara facinora, hinc eſt, ut Elogium penè ex ipſo nomine deduxerimus.

MA-

MAXIMI PROVIDENTIA

Maximum Taurinenſibus impetrat Præſulem Antonium Provanam.

MAximus alter adeſt ſimilem dat maximus alter,
Authores produnt maxima dona ſuos.
Maxime, ſi pergis tales dare, Maximus ut ſis,
Vix poteris donis non minor eſſe tuis.

MAXIMI ERGA TAVRINENSES

Providentia Singularis.

PAr tibi nomen habes, tantum capit omnia nomen,
Sed dare ſi pergas maxima, major eris.
Alter erit, tu qualis eras, quàm maximus es tu?
Ni dederas alios, Maxime, ſolus eras.

Inſulata

Infulata Remiſsio.

ANSELMVS CANTVARIEN.

Anſelmum, Auguſtæ Prætoriæ cœlum dedit,
Cœlo Angliam reddidit.
A vitiis ætatem exorſus in virtute confecit,
Miſerãdus, quod ita cœperit, mirãdus quod ità deſierit.
* Sæpè cum Patre vexatus, ſæpius ſecum
Æquè neſcius quid eligeret, ac quid optaret,
Tandem mores unà cum ſolo mutavit.
Eò velocius virtutis iter emenſus,
Quò ſe à meta noverat remotiorem.
E cœnobio vocatus ad infulas,
Neſcias an monachi partes acuratiùs impleverit,
An Epiſcopi. (lactat.
Regis perfidiã unliter carpere malens, quàm pernitiosè
Pacem non amans, quæ cum æquitate pugnaret.
Minus fœlix eſſe maluit, quàm minùs fortis videri.
Iterum revocatus, iterum pulſus,
* Regis duritiem duritie molliit ſua.
Immortalitatem, & ſtylo, & virtute promeritus,
Oppreſſam anguſtiis vitam cum meliore mutavit.

*OB crebra cum Patre jurgia diſciplinæ impatiens ſeceſſit in Gallias, ubi Chriſti militiæ nomen dedit.

Conſtantia enim Anſelmi factum eſt, ut Rex impius errorem agnoſcens malè cœpta damnaret.

AN-

ANSELMI

Demiſsionem referentis Imago.

CErnite depreſſos arcana in pectora vultus,
Pectore nobilius nil videt ille ſuo.
His levior fuerit quondam cum viſus in oris,
Quæ tunc intulerat damna pudore luit.

De eadem imagine.

PEctore fixa manus medio; ſe deſpicit ore.
Quod ſervant pectus Lumina, dextra premit.
Ille ſuas cùm ſervet adhuc ſub pectore Gazas
Quàm bene cuſtodem fecimus eſſe manum.

Infulata Pietas.

MAVRILIVS ANDEGAVENSIS.

Maurilii ſi Patrem ſpectes, aut Patriam
Vix credas naſci nobilius potuiſſe;
Si vitam ſpeculeris, ac mortem,
Dubites an potuerit vivere ſanctior, an obire ſecurior.
Felix quod Ambroſium, ac Martinum audierit,
Felicior quod expreſſerit.
Profectus in Gallias, ut novum daret Gallus Thau-
Eas & prodigiis illuſtravit, & meritis. (maturgũ,
Cùm æqʒ ille omnibus, ac illi omnes ſubeſſe percupe-
Se uno gemente factus Antiſtes, (rent
Auxit unà cum dignitate Prodigia.
Peccata deteſtatus ubi erant, metuens ubi non erant.
* Cùm in ſe certa punire nequiret, dubia puniit,
Sui nimium rigidus Cenſor,
Quod totam lenitatem ſuam ſervaret aliis.
Ab exilio, quo ſe ipſe mulctaverat prodigio revocatus,
* Cùm jam ſeptennium mortuos revocaret è tumulis,
Homo eſſe deſiit, quod jam Deus eſſe cœpiſſet.

Patria

*PAtria Mediolanensis extitit, quæ Vrbs dicta est olim altera Roma; genere vero Patricius, & è prima nobilitate.

*DVm lacra Deo faceret, vocatus à femina, ut morientem puerum sacro chrismate initiaret, supervùm deliciis deliburus, seriùs adfuit, quàm ut fœminæ vota compleret; jam enim obierat puer. Hac de causa fugit à suis, certus nunquam redire nisi Puerum sibi redderet Deus. Post septennium inventus, iterum rediens, puerum etiam reddidit vitæ.

MAVRILII CVLPÆ

Quales.

TE monet ægra Parēs; moriens tibi puppulus adstat,
At superi sensus detinuere tuos.
Puppus obit, te noxa movet; fugis exul ab urbe,
Cum puero, requies est quoque rapta tibi.
Qualis erat tibi vita; Hominum quā impervia noxis?
Si quoque cum superis sistere culpa fuit.

MAVRILII

In Puerum mortuum charitas singularis.

PVppus obit, nec noxa tua eſt; facis ipſe, fugam-
Arripis; Exul & es legibus ipſe tuis. (que
Te revocant ſuperi; tibi ſed ni ſtamina reddant,
Quæ fuerant Puero fracta, redire negas.
Iam cinis eſt, ſeptemque puer jacet obrutus annos,
Vita tamen puero te redeunte redit.
Si tibi ſic ſuperi placeant, refugumque reducant,
Vt redeant alii; ſæpe fugandus eris.

Pœnitentia Infulata.

FVLGENTIVS RVSPENSIS.

Fulgentium
Neſcies an ex fulgure, an ex fulgore deducas,
Fulgoribus ſuis bonos attrahens, malos exterrens,
Fulgere cum nunquam deſierit,
Sæpe non deſiit fulgurare.
In Africa natus novum ex Africa monſtrum eduxit,
Hominem videlicet,
In quo nihil humanum aſpiceres, nihil ferum.

In

In Christi domo malens inquilinus esse,
Quàm in sua dominus,
Inter monachos ac inter Episcopos docuit,
Omnia virtutem agere,
Omnia posse etiam tolerare.
In Sardiniam relegatus,
Quod gemini solis ardores Africa pati non posset,
Cum se antequam pelleretur exulem crederet,
Mutavit exilium, Patriam non amisit.
Ruspensibus redditus,
Vt omnes sibi similes faceret se nulli dissimilé fingens,
Immortalitatem & sibi acquisivit, & suis.

FVLGENTIVS

In Exilio.

FVlgur es, horret adhuc tua nempe tonitrua miles
Barbarus; es fulgor, quem quoque cæcus amet
Cur tamen externas jam te vomit Africa in oras?
Non potuit Soles Africa ferre duos.

FVLGENTII IN EXILIO

Pœnitentia.

VIx te ferre potes, nequit quem ferre Tyrannus,
Te premit ille odiis, te premis ipse flagris.
Quæ tibi non faciant alii facis ipse, tuique,
Vt dominus possis esse, Tyrannus eris.

Fides Infulata.

APOLLINARIS.

Apollinaris
Ita ſub Petro Præceptore profecit,
Vt alterum penè crederes Petrum.
Vmbra igitur Petri cùm eſſet,
Quidni omnia pelleret mala?
Cæcorum aperiens oculos,
Cum tamen videri minimùm vellet
Veritatis lucem & oculis inſtillavit, & animis,
Senes bene mori docens, pueros optimè vivere.
Cum meſſem ſuam Ravenna non caperet,
Sæpe pulſatus, & pulſus, ignem calcare non horruit.
Eam expertus in igne Clementiam,
Quam omnes experirentur in ipſo,
In Etruriam à muto vocatus
Et linguam dedit, & reddidit mentem.
Nunquam facundior,
Quam cum mutos faceret vel tacendo facundos.
Prodigii it proditus ſuis cum ſe nulli curaret prodere,
Mortuos excitans, ut bene doceret vivere,
Nullo victus ſupplicio, quod omnia ſperneret,
Æquè ſe fortem exhibuit, ac Nero ferum.
Mari commiſſus
Vt in omni elemento ſuum robur imprimeret.
Acerbius jactatus in terris, quàm fuiſſet in mari,
Lictores quos fatigaverat in Italia,
Sanguine ſuo ſatiavit in Thracia.

APO-

APOLLINARIS FIDES

Mortuos exciat,

DElit et exanimis gelidâ concluſus in urna;
Iam cinis eſt, flammas ſed dabit iſte cinis.
Ipſe vocas, primumque jubes remeare ſub axem,
Excitus ad voces proſilit inde tuas.
Quid mirer, repetant accita cadavera vitam?
Hoc ego plus mirer, te quoque poſſe mori.

APOLLINARIS FIDES

Omnibus ſalutaris.

SI loqueris das cæco oculos, ægróque ſalutem,
Quanta tamen pateris, dum quoque tanta facis,
Cunéta potes tolerare, potes quoque tollere; ſed te
Tollere vulgus amat, nec tolerare poteſt.
Iura potes tolerare tamen, quàm tollere; vulgi
Nempe odium toleras, tollere & uſque nequis.

FINIS.